

www.e-rara.ch

Clavis scripturae S. seu de Sermone Sacrarum literarum

Flacius, Matthias

Basileae, 1580[-1581]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2505>

R

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Sic igitur Erasmus: Quod hic uertit *super substantialem*, ad uerbum *Superessentialem* sonat. Id, autore Hieronymo, LXX plerunq; transferunt *ωπιβουρον*, pro quo ex Heb. *חמץ* Symmachus *ἐξέμενον*, id est, eximium siue egregium uertit: quanquam idem alicubi reddiderit peculiare. In Euangelio quod appellatur Hebræorum, pro *super substantiali* pane reperit Hieronymus *חמץ*, quod dicitur *crastinum*. Equidem ut nihil horum improbo, ita quod postremo loco positum est, mihi maxime probatur. Nec enim in preceatione tā cœlesti Christus de hoc, opinor, loquitur pane, quem à suis parentibus accipiunt & gentes. Et apud Græcos *ἡδίστην* *crastinus* dicitur dies. Sic enim usus est & Lucas in Actibus Apostolorum cap. 7. *τῆς αἰτίας ἡμέρας*, id est, postero die. Et indicat Augustinus nonnihil tale, Sermone 28. ut hic sit sensus: Quemadmodum patres terreni prospiciunt liberis suis panem, quo corpus alatur, etiam in posterum diem: ita tu nobis prospice panem cœlestem, animi cibum, qui pater es cœlestis, & pater spirituum. Hactenus Erasmus. Porro Beza post Erasmus sic de eadem uoce scribit: Panem quotidianum, *ἄρτον τὸν ἡμέτερον*. Mihi religio fuit quicquam immutare in hac preceationis formula, in Ecclesia Dei tanto iam tempore usurpata: dicam tamen quod sentio, ubi alias interpretationes attulero. Nonnulli nuper *Super substantialem* uerterunt: quod uideatur hoc uocabulum formatum ab *ἄρτι* & *ἡμέτερον*: & (sicut Erasmus annotat in hunc locum) in preceatione tam cœlesti, Christus de eo pane non loquatur, quem à patribus suis accipiunt etiā gentes. Sed certum est, Christum hoc orationis compendio comprehendisse, quicquid est à Deo flagitandum. Et quod addit Lucas, *τὸ καθ' ἡμέραν*, id est, in singulos dies: declarat de terreno & corruptibili cibo hic agi, cuius querendi sollicitudinem, non curam, Christus conatur tot uerbis nobis eximere. Alij interpretantur *Crastinum*: ut deducatur ab *ἡμέτερον*, quod etiam Hebræi cuiusdam Euāgelij autoritate cōfirmat Hieronymus, à quo Erasmus non dissentit. Sed hoc (ni fallor) manifestè pugnat cum Christi doctrina, qui nos uetat sollicitos esse de *crastino*: nisi quis ita interpretetur, quasi petatur uictus qui usq; in *crastinū* diem sufficiat. Sed nimium subtile esse uidetur, Panem *crastinum* interpretari, quanto usque in diem posterum sit opus. Puto igitur nouum esse uocabulum, qualia à sacris scriptoribus multa sunt conficta, idq; deduco ab *ἄρτι* & *ἡμέτερον*, sicut à *ωπιβουρον* ijdem formarunt *ωπιβουρον*, ut eum demum panem (id est, uictum, Hebræorum more) significari intelligas, qui nostris uiribus sustentandis sufficiat: id est, (ut Græci interpretantur) *ἄρτι τὸν ἡμέτερον ἄρτον τὸν ἡμέτερον*, minimè scilicet delicatum, sed frugalem: ut uictum & uestitum habentes, contenti simus. Panis enim appellatione cætera omnia tolerandæ huic uitæ nostræ necessaria comprehenduntur. Huic interpretationi ad stipulatur uetus uersio. nam quod uulgatum & usitatum, id quotidianum dicimus: quia tamen quotidianum, sic quoq; potest accipi, quasi cibus in unum tantum diem petatur: huic autem interpretationi id obstat, quod in hoc orationis compendio Lucas non contentus *ωπιβουρον* dixisse, etiam addit, *τὸ καθ' ἡμέραν*: idcirco fortassis præstiterit, Panem cibarium interpretari, uocabulo Latinis usitato in hac quoq; significatio: ne uel per periphrasim, Panem sustentandis nobis idoneum. Verum tanti apud me non fuit hæc ambigebolia, ut quicquam innouandum putauerim, quo offendi possent infirmiores. Hæc Beza. Mihi sanè communis ac usitata uox *Quotidianus* maxime probatur, ita tamen, si intelligatur de imminente tempore: ut sit idē panis quotidianus, ac omnia huius uitæ commoda omnibus aduentantibus horis necessaria. perinde ac si dicas, uictum imminente temporis, nam pro præsen-

tis uitæ uictu & bono, iā Deo gratias agere debemus, sumentes cum gratiarum actione. Sed de futuro ac imminente tempore orandus est Deus, ut omnigena bona aut commoda ad sustentandam hanc uitam necessaria benignè suppeditet. Nam *τὸ ἡμέτερον* dicitur esse omne accedens, aut quasi (ut ita dicam) aduadens. sic *ἡμέτερον*, est dies aut nox accedens: quare inde formato adiectiuo *ωπιβουρον* panis dicitur, qui imminete quoquo tempore, die ac hora est necessarius, siue sit ualere uo bona, siue pax, siue uictus ac uestitus, aut quicquid aliud necessarium. Nec est contra Christianam pietatem, petere futuri, aut etiam *crastini* temporis necessaria. alia enim est illa prohibita sollicitudo, quæ & nimia est, & non respicit in Deum, nec ab eo querit aut sperat bona aut opem ullam: alia est ista pia cura, humanam egestatem miserisq; agnoscens, & à Deo illarum leuamen poscens: cuiusmodi preceationibus plenæ sunt Sacre literæ. Conuenit cum hac interpretatione de tempore, quod mox sequitur, correspondens uox *Hodie*, uel (ut Lucas habet) *Quotidie*, seu quantum quaque die opus est, quantum ac quale omni ueniente tempore necessarium est: quasi diceret, panem *crastinum* da nobis cras, seu panem imminente temporis, da nobis uno quoq; ueniente tempore. Hæc igitur interpretio istius uocis, & cum genuina significatione uocabuli, & cum contextu, & cum ipsa nostra necessitate, ac deniq; Christiana pietate optimè conuenit: eoq; etiam merito, reiectis alijs, sola probari debet.

R



A CHA, *pana*. Matthæi quinto: Qui dixerit fratri suo, racha. Dubium est quid ibi significet. Alij enim eam deducunt à *thomate* *γαρα*, malus: quasi dicat, Tu male, uel malum tibi. Alij tantum interiectionem quandam irati animi esse putant. Alij à sputo deduci, quod uocāt *ραρα*: sicut Germanicè dicas, *psuy dich*, Du wüsst ein psuy emlegen, quod itidem non procul ab interiectione differt. Ego scriptionem Heb. respiciens, puto significare leuem, uanum aut etiam nihili. Solent enim hoc epitheto *רקם* *rekim* usitatè leues & improbi homines notari. ut *Iudic. 7* dicitur *Abimelech* conduxisse leues & uacuos, uanosq; homines. Nam uocabuli thema propriè uacuitatem sonat. Et *Dauidi* obijcit uxor *Michol*, filia *Saulis*, quod saltando coram arca, reuelarit se coram ancillis & famulis suis, perinde ac si unus ex leuibus hominibus denudatus fuisset: id est, unus ex infima sorte aut conditione hominum. *Sis & Prouerbiorum 12* est: Qui sectatur *rekim*, uacuos, deficit corde. & 28, Qui sectatur *rekim*, saturabitur paupertate. id est, qui se adiungit leuib. homuncionibus, qui nolunt laborare, sectanturq; uoluptates & uitia, nec quicquam serij ac ueri in anima aut lingua habet: talium sectatores & ipsi carent corde & intellectu, & tandem esurient, & ad extremam mendicitatem redigentur. Puto igitur hic obijci fratri talem leuitatem, futilitatem, ac inanitatē cerebri, & omnis intellectus, & rerum actionumq; uitæ. Verum quia aliqui huiusmodi interpretationē improbant, tanquam textui parum conuenientem, quod sit quædam gradatio criminum: sciendum, illud sequens *Stulte*, non Græcè aut Latine, sed Hebraicè accipiendum esse, quibus *Stulti* sunt & dicuntur homines prorsus impij & *ἀβροί*, qui dicunt in corde, & sæpe etiam ore ac factis totaque uita, (ut est in *Psalm.* Dixit insipiens in corde suo) Non est Deus. Verum adscribam etiam aliorum sententiam, si forte hæc mea alicui minus satis facit. Erasmo igitur uidetur esse uox indignantis, uelut *Interiectio*. Alioqui, ait, quid intererit inter *Racha* & *Fatum*: Consentaneum est enim, Christum Matthæi 5 gradus quosdam ostendere,

stendere, quorum primus sit irasci: secundus, sono alio quo incerto motum significare: tertius, in manifestum conuicium prorumpere. Atque ita sentit D. Augustinus commentariorum quos in hunc edidit locum lib. 1. addens, se id à Iudæo quodam accepisse. Racha Hebræis interiectionis instar esse: eaque uoce nihil certi, sed tantum animi indignationem significari. Fortasse fuit ea uox temporibus Christi uulgaris irascentibus, quemadmodum hodie frequentissima est in omnium concitatorum ore illa indignatione turgidissima aposiopesis, *Das dich*: intelligimus autem, *vit unglucks angang*. Et sunt qui interpretantur Racha, malum tibi: id per omnia æquipollet, *Das dich*. Esset igitur sensus istius textus: Non is tantum homicida est qui alterum manu trucidat: uerum etiam is, qui alteri malum aut afflictionem quandam imprecatur, obnoxius erit concilio. D. Chrysostomus ait, Syriaca lingua Racha perinde esse atque, Est: ut irati subinde, quæ commotus animus conuicia suggerit, premere solent: ita tamen, ut sono aliquo indignantis animi paratos se ad conuiciandū prodāt. Coniule ipsum Chrysostomum latius in Matth. 5. Hō. 21. cap. D. Basilius ait, uerbū suæ regionis populo peculiare, leuiores conuicij gratia aduersus familiares usurpatum. Sunt qui illi certam significationem assignent, utpote quod significet hominem nihili. Simplicius est, ac uero similius, ut dicamus esse animi commoti, & intra se frementis, interiectionem, qua ueluti signo quodam indignantis fremitus proditur. Intelligendum Matthæi 5 damnari omnia, qualiacunque ræoris & maleuoli animi signa, quouis illa modo prorampant: siue murmurando, siue frendendo, siue expuendo, siue faciem auertendo, siue frōtem rugando, siue nasum crispando. Nam huiusmodi signis irascentis animi commotio plerunque proditur, quemadmodum & diligentis suauitas certis ac peculiaribus notis significatur, ut Genes. 30 cap. uidere est. Plura de hac uocula apud D. Hieronymū, Theophilum, & reliquos doctores Ecclesiasticos: quorum omnium scripta sanè expendenda, & cum iudicio legenda sunt. Alius quidam sic de hac uoce super prædictum locum Matthæi annotat. Racha, *ראח*: Vocabulum hoc retinere uolui, Matthæum ipsum, uel certè Græcum eius interpretem secutus, qui peregrinam hanc uocē maluit usurpare, quàm Græcam aliam substituere. Admonuit me uerò Emanuel Tremellius, uir suæ (id est Hebrææ) linguæ peritissimus, in Thalmud sæpe legi *ראח*, pro quo Syri dicunt *ראח*: & significare hominem cerebro uacuum. Græcè fortassis *κεννυ* rectè uoces. Nam *ראח*, unde deductum illud est, significat uacuum & inane. hoc ipsum postea reperi à quibusdam annotatum. Qui dam nuper balatronem est interpretatus: quàm rectè, ipse uiderit. Matthæi interpretatio Hebraica recens à Ioanne Tillio in lucem edita, legit *ראח*, id est malum: quod non probo. Maius enim est conuicium uocari malum, quàm stultum, de quo tamen postea agitur, tantquam de atrociori iniuria quàm hæc sit. Verum altera sententia uerisimilior est, quod significet leuem & flagitiosum hominem: quo nomine usitatum fuit tales nominari, ut exemplis ostendi.

RACHEL dicitur plorare filios suos, nec admittere consolationem, ob extremam internecionem eorū. significat uerò ibi Rachel, ipsas mulieres & uiros Bethlehemiticos. Causa autem cur nomen Rachel eis tribuatur, est, quia Rachel ibi mortua & sepulta est. Alio qui tribus Benjamin non procul inde fuit, cuius autorem Benjamin Rachel mater peperit.

RACEMVS aliquando non totū botrum, sed partem tantum aliquam eius, ac ueluti ramulum significat. Aliquando etiam ignobiliores & secundarios botros, qui serius maturefcunt. Hinc *Racemare*, & *Racema-*

fit, in Sacris literis significat illam secundariam collectionem botrorū, post uindemiam, quæ & pauciora & peiora prioribus colligit. In quo genere & illud obseruandū est, quod in meridionalibus locis, & etiam passim ultra Alpes, cum prima uindemia fiat mense Augusto, aut sub finem eius, secundarij illi botri maturefcunt primū mense Septembri: qui secundarij botri in Germania minus noti sunt, quàm in Italia, ubi aliquot locis bis fruges crescunt in anno, aut etiam ter, ut Dionysius Halicarnassens scribit. *Racematio* ergo est, tū illorū collectio, tum si quid fortè passim in folijs palmitum in priori uindemia latens relictum est. De ijs præcipitur Leuit. 19, & Deut. 24: ne colligant nimium accurate reliquos racemos in uindemia, nec solitarias spicas in messe, sed relinquunt pauperibus. Per metaphoram uerò sæpe denotat paucos superstites homines in regionibus post bella, aut aliam aliquam mortalitatem. Isaiæ 17, Et relinquuntur in eo racemi, uel *racematio*: id est, remanebunt pauci habitatores Hierusalem, cladi superstites, perinde ac pauci ac uiles racemi remanent post uindemiam. Aliquando per similitudinem adhibetur: idque plerunque addita similitudine de olea post collectionem paucas baccas retinente in summis extremitatibus, quas uel uidere uel attingere collectores non potuerunt. Isaiæ 24. Sic erit in medio terræ, in medio populorum, sicut excusio oleæ, sicut racemi, quando facta fuerit uindemia. pro, tam pauci cladi superstites remanebunt, quàm pauci racemi in uitibus, aut baccæ in oleis. *Racemare* itidem per metaphoram significat, illos superstites priori cladi colligere ac perdere. Hieremiæ sexto: *Racemando* racemabunt, tantquam uitem reliquum Israelis. Sic Iudicum uigesimo: *Racemauerunt* eos in semitis quinq; millia uirorum: id est, post primam pugnam, cæsamque ac fusam aciem, fugientes dispersos ac palates per diuersas semitas confectati sunt, interfeceruntque: adhuc quinque millia. Isaiæ 3 est, Exactores populi mei sunt pueri. Aliqui uertunt, Exactores populum meum racemant: id est, non solū primū spoliabunt, sed postea adhuc, si quid ex priori deprædatione superfuert, colligent & auferent. Videri sanè posset rectè uerti *Racemabunt*: quandoquidem iam antea in eodem capite prædixerat, gubernatores eorum fore pueros ac infantes. Hieremiæ 49, Si uindemiatores uenissent super te, non reliquissent racemū. i. si hostes uenient, omnia perdent, nihil integrum relinquent, omnes interficient. Eadem methaphora ac similitudo est etiam in Obadic. Sic & Micheas capite septimo dicit, se perinde dolere ac lugere, quod nusquā ullum pium reperiat, sicut qui post uindemiam racemos querit, ut sataretur, sed nihil usquam reperiat. Ex hac methaphora est etiam illa prouerbialis locutio, Melior est alicuius racematio, quàm alterius uindemia. Iudicū octauo dicit Gedeon ad Ephraimitas: An non est melior racematio Ephraim, quàm uindemia Abiezer? id est, plus effecistis uos consecrando fugientes, quàm ego cædendo, & utertendo in fugam totam Madianitarum aciem, quia uos cepistis ipsos duces, quibus saluis hostis non uerè uictus fuisset, quippe qui facile exercitum reparare potuissent.

RADIX, per metaphoram aliàs significat originē rei, quia ex radice crescit arbor & herba: aliàs contrā effectum & consequens significat, quia crescente arbore etiam radix crescit. Pro origine & causa ponitur, cū dicit Paulus 1 Timot. sexto. Radix omnium malorum est auaricia: id est, causa, origo & scaturigo, unde omnia uitia & flagitia profluant. Ezech. 16 habet Vulgata, Radix tua & generatio tua de terra Canaan. & Romanorum 11. Si radix est sancta, & rami sunt sancti. id est, si illi primi parentes populi Israelitici Abraham Isaac, Iacob & alij, fuerūt Deo grati & accepti: proculdubio & posterī

& posterii eorum, seu Israelitæ ex illis maioribus proge-
niti, à Deo diliguntur. Mox ibidem: Tu factus es con-
fors radice ac pinguedinis oleæ. id est, tu factus es fili-
us Abrahæ, & hæres promissionum ac bonorum eius.
Ibidem: Ne glorieris aduersus ramos: quòd si gloria-
ris, non tu radicem portas, sed radix te. id est, tu habes
omnem uim, uitam ac succum tuum spiritualement ex fi-
liatione & hæreditate illorum primorum patriarcharum
ac prophetarum, totaque Israelitica Ecclesia, &
Christo ipso ac eius Apostolis, qui oēs Israelitæ sunt. 10
Salus enim ex Iudæis est. Ne fortè sit in uobis radix
germinans fel & absynthium, Deuter. 29: id est, sicut
præcessit, Cauete ne sit aliquis seductor sua pestifera
& uenenata doctrina idololatrias excitans, & homines
seducens, uosque ira Dei & exitio onerans. Idem dicitur
& Hebræorum duodecimo: Prospicientes ne quis
deficiat à gratia Dei, ne qua radix amaritudinis sup-
pulus obturbet, & per eam inquinentur multi. Radix
amaritudinis: id est, proferens amarissimos & uenena-
tissimos fructus, nempe errores, peccata, iram Dei & 20
pœnas. Hic igitur radix per metaphoram, fontem, seu
id quod præcedit, indicat. Contrà, sæpe significat id
quod sequitur: quia & arbor ac herbæ crescetes simul
ex se proijciunt & extendunt radices in terram, non
minus quam ramos sursum: & cum etiam emoriuntur
tamen sæpe relinquunt radicem uiuam, ac ueluti semē
quoddam post se, ex qua alia similia exoriantur. Sic
ualde sæpe significat stirpem, aut genus alicuius post
eum relictum. Isaiæ undecimo: Egredietur uirga de
stirpe Iesse, & surculus de radicibus eius fructificabit. 30
Isaiæ decimoquarto: De radice serpentis egredietur
aspis. Et mox: Fame interficiam radicem tuam, sed &
ipse posteros tuos occidet. Leuit. 25, Seq: uendiderit
radici familiæ peregrini: id est, posteris peregrini. Cõ-
parat igitur Scriptura Isai ac Dauidem, & eius poste-
ros, arbori aridæ & præcisæ, cuius tamen radix adhuc
uiuat, quæque suo tempore nouam surculum, longe-
que maiorem ac gloriosiore prioris arbore sit editu-
ra. Neque tantum tota stirps, sed etiam unicus ex alicuius
posteritate, eius radix nominatur. Isa. 11: Et erit in 40
die illa radix Isai, quæ stat in signum populorum, illam
gentes requirēt. ubi radix Isai ipsam Meschiam, filium
Isai aut Dauid significat. Quòd dictum etiam Paulus
Rom. 15 citat. Sic & Apocalypsis 5 & 22 accipitur: Ego
sum radix & genus Dauid. Arbor inter crescendum tū
sursum erigit ac confirmat truncum, tum spargit & di-
latat ramos, tum denique radices deorsum agit ac per
terram extendit. Ab hac igitur ratione incrementi ar-
borum sæpe metaphoræ aut similitudines ducuntur,
quibus indicantur hominum uel singulorum, uel etiã 50
plurium, ut urbium aut gentium, incrementa. Isaiæ 27.
Venturis diebus radices aget Iacob, florebit & germi-
nabit Israel, implebuntque faciem orbis fructu: id est,
crescet Ecclesia & regnum Meschiæ. Isaiæ 37, & 2 Reg.
19. Et addet euasio quæ remansit mittere radices deor-
sum, & fructus sursum. id est, superstites Israelitæ de-
nuò crescent, florebit & propagabunt magnam gen-
tem. Psalmo 80, Vitem de Ægypto transtulisti, extru-
xisti gentes, & plantasti eam: perpurgasti coram ea, &
radices egit & impleuit terram. Sic & Hieremiæ 12 res 60
secundæ impiorum describuntur: Tu plantasti eos, i-
deo radices egerunt, perfecerunt & protulerunt fru-
ctum. Iob 5, Vidi stultum, qui radices agebat, & male-
dixi repente habitaculo eius: id est, in summo uigore
subitò perijt. Sic idem etiam piorum stabilem sortem
depingit capite 17, Vir sperans in Dominum, erit sicut
arbor plantata iuxta aquas, & quæ mittit iuxta riuum
radices suas. Iob 29. Radix mea est aperta iuxta aquas.
id est, res meæ bene habent, uigentque ac uirent. Sic
& Paulus Eph. 3. iubet pios radicari in charitate: id est, 70

proficere. Et Coloss. 2. iubet nos radices agere in Chris-
to, inquiens: Radicati & superstructi in Christo, & cõ-
firmati fide. Eodem modo etiam interitus potentum
ac impiorum ab arefactione & putrefactione radice ar-
boris per metaphoram depingitur. Iob 18. Deorsum ra-
dices eius arefcent, & sursum excidetur ramus eius. id
est, in omnibus partibus & reb. erit infortunatus. Sic
Isaiæ 5. Radix eorum quasi putredo erit. Sic & Osee
9, Radix eorum exiccatur. Malach. 4, Comburetque
eos dies illa uentura, quæ non relinquet eis radicem,
neque ramum. Radix rei aliquando ueritatem indica-
re uidetur. Iob 19, Quin dicitis, Quare persequemur
eum, cum radix rei sit inuenta in me? Matth. 13 Christus
inquit, aliquos in Christianismo malè radiceos, pri-
mò quidem citò exoriri, & magna incrementa pollice-
ri: sed paulo post æstu persecutionum arefactos peri-
re. Hac similitudine etiam temporarius interitus potè-
tum describitur, Isaiæ 40, Ipse redigit potentes in nihi-
lum, & iudices terræ facit quasi non sint. Vtique non
sunt plantati, non sunt seminati, nec radices egit in ter-
ra truncus eorum. Ideoque uentus spirauit in eos, &
exaruerunt, & procella tanquam stipula abstulit eos.
Similitudine sumpta ab extrema totaliue succisione
arborum, declarat Baptista imminentem Iudæis iram
& pœnas Dei, inquiens Matth. 3: Iam etiam securis ad
radicem arboris posita est. Omnis igitur arbor non fe-
rens fructum, eradicabitur. Cum enim arbor à radice
succiditur, nimirum tota ac prorsus perit. Quare
hac similitudine plena ruina populi Iudaici adumbratur:
quæ etiam postea per Titum ei accidit. Contrà, nõ
perfecta ruina, sed tantum grauis castigatio diuinitus
per somnum depingitur Nabuchodonosori, per exci-
sionem ramorum pulcherrimæ arboris, conseruato ni-
hilominus trunco ac radicibus. Significatum enim illi
est, quòd post illam grauem castigationem iterum re-
uiresceret ac refloresceret, sicut arbor cuius solummodo
rami circumcisi sunt. Danielis 4.

R A D O. Radere solebāt Israelitæ uel caput, uel bar-
bam, uel etiam omnes pilos totius corporis ob plures
causas: de quibus consuetudinibus aliquid dicemus
hoc loco. Primùm radebantur leprosi in toto corpo-
re, duplici de causa. Initiò, accuratiùs explorandæ le-
præ gratia: Leuitici 13. Postea, cum conualuerant, ex-
piationis causa. Leuit. 14. Ibidem etiam docetur, quo-
modo domus quoque intrinsecus tum explorandi, tū
& mundandi gratia ob lepram debeat radi. Secundò,
radebant Nazaræi suas comas certo tempore, quas cõ-
secrauerant Domino: Num. 6. Talem rasionem uide-
tur & Paulus fecisse primùm in Kenchreis, Act. cap. 18:
postea etiam Hierosolymæ, capite 21. Tertiò, in conse-
cratione radantur Leuitæ: de qua tota cõseruatio uide-
tur Num. 8. Quartò, mulier peregrina nuptura Iudæo, ra-
debat caput: Deuter. 21: ut depositione comæ ueluti
testaretur, se abijcere gentilismum. Quintò, radebant
caput & barbam testandi doloris ac luctus gratia, præ-
sertim de morte alicuius: quod sacerdotibus prohibe-
tur. Leuit. 21. Id etiam de Moabitibus prædicit Isaias, in e-
orum calamitate eos esse facturos. Hieremias quoque
cap. 48. idem, ac de iisdem prædicit. Sic lugentes rafa
barba, & laceratis uestibus describit Hieremias, illos
80, qui afferebant munus ad templum, quos Ismael in-
terfecit: Hierem. 41. Sic & Ezechiel luctum de ruina
Tyri per rasionem capitis notat, cap. 27. Sic & Achilles
rasam cæsariem proijcit in pyram Patrocli, in funere.
Sextò, ignominie gratia rex Ammon radit medium
barbæ, & præcidit uestes legatorum Dauidis: 2. Sam.
20, & 1 Par. 19. Septimò, minatur Isaias cap. 7. quòd
Deus sit rasurus caput, pilos pedum, & etiam barbam
Ægyptiorum conducticia nouacula, nempe per regē
Assyriæ: quod ei per metaph. spoliationem & uastatio-
nem

nem Egypti significat. Octauo, Ezechiel iubetur raderere suum caput & barbam, eosque pilos in tres partes diuidere, quarum primam in ignem iniiciat, secundam gladio concidat, tertiam in uentum dispergat: ut illo nouo ac peregrino facto ostendat Iudæis, quomodo Deus sit illos puniturus. Postremo radebant aliquando communis usitatæque mundicie causa. Quare intermittere talem rationem, sicut & apud Romanos habere promissam barbam aut capillos, signum luctus ac doloris erat. Sic exulante Dauide Mephiboschet non rauerat barbam suam, nec se lauerat, aut uestimenta mutauerat. 2. Sam. 19.

RAMVS arboris tum effectus est, eoque nonnunquam filios denotat: tum ornatus & uis fructifera, ideoque magnatam gloriam & potentiam designat. sicut est uidere in arbore exprimente Nabuchodonosorem, Daniel. 4. sub cuius ramis, & in cuius ramis uaria animalia uictitabant: quibus paulo post fuit diuinitus priuatus. *Ramos arboris pullulare*, est eam uirere ac uigere. Iob 14. Contrariarescere, est eam perire. Iob 15. Per metaphoram autem significat sortem ac conditionem hominum. Sic & regnum Assyrium comparatur pulcherrimæ cedro, amplissimos & altissimos ramos habenti. Ezech. 31. Sic & cap. 17 ac 19, regnum Iudaicum eum uiriditate ramosa comparat. In posteriore capite dicit, ignem ex ramis eius exiisse, qui eam perdiderit: quod significat perfidiam Ezekie. Rom. 11 aliquoties uox *Ramus* & *Rami* significat Israelitis eius temporis, qui fuerunt ex primis patriarchis, ueluti ex radice quadam producti: de quo Pauli loco supra in uoce Radicis aliquid dixi. Defractus enim ibi dicit Ramos esse: id est, multos Iudæos desisse esse membra Ecclesie Dei. Rami eius facti sunt albi, Iob. id est, Delectantur quedam animalia, inter quæ asini, corticibus ficulnearum: ijs cum priuantur rami, albedo earum apparet, & simul arescunt: per illam igitur decorticationem hostilis uastatio regni Iudaici innuitur, Rami teneritudine exprimit uernum tempus Christus, Matth. 24: quia eo tempore incipit se effundere succus per arboris sub corticem serpens, ita ut tunc facillimè cortex à ramo abstrahi possit. Vult autem indicare, quod sicut illa effusio succi aut teneritudo rami indicat uernum tempus, & æstatem imminere: sic & ipsos debere ex illis signis cognoscere, quod aduentus Christi, finis mundi, & extremum iudicium propè sit. *Cedere ramos*, & tum humi spargere, tum & in manibus portare solebant olim Iudæi in publica læticia, pompis ac triumphis. Sic igitur Matth. 21 cædebant ramos, & sternebant Christo equitanti in illa sua regali pompa & introitu in Hierosolymam. Ioannes uero cap. 12 dicit, Iudæos acceptis ramis palmarum obuiam Christo uenienti processisse. Solebant enim eis rami palmarum uirtutem & uictoriam significare, sicut Latinis laurus semper uirens: de qua significatione in uocabulo *Palma*. Tametsi etiã phrasia Latina, *palmas conseruare* aut *dare*, eandem etiam illorum consuetudinem fuisse testetur. Inde & Martyribus pictores ramum palmæ appingunt: & similia istæ ueterum rituum, ramos consecrant, gestantque, & Palmarum festum celebrant.

RAPIO, subito uiolenterque aufero, nullam planè habet difficultatem. Crudeliù ferarù & prædonum id opus est. Animam rapere, est subito aliquem interficere. Psal. 7. Ne quando rapiat ut leo animam meam. Psal. 9. Insidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dicitur attrahit eum. id est, opprimit, spoliat. Ezech. 18 aliquoties repetitur: Si quis rapinam rapuerit, aut non rapuerit, id est, per uim aut iniusticiã proximo suo ademerit. Mich. 2. Cõcupiuerunt agros, & rapuerunt. Rapere aliquem de manu alicuius. Christus dicit Iohan. 10, neminè rapturum pios de sua & patris manu: id est, se defensurum eos contra omnes insidias, fraudes & uiolentiam

fatanz, mundi & carnis. Videtur esse quedã hypotyposis, similis prouerbio, Clauã Herculi extorquere. Iudiciu pauperis rapere, Isa. 10. Ut inclinent à iudicio tenues, & rapiant iudicium pauperu populi mei. i. ipsos & eorum ius fraude uolentiaque intricet & opprimant.

RAPINA, est etiã res aut cadauer, à feris occisum & laceratũ. Exod. 22. Carnem in agro rapinam non comedetis. id est, à feris raptam aut laceratam. Pauperis rapina: id est, quæ pauperi est ablata. Isa. cap. 3. Rapina pauperis est in domibus uestris. id est, rebus raptis à pauperibus, complectis domos uestras. Idem & Amos 3. Sic Ezechiel dicit 18, *Rapinam fratris rapere*: id est, res proximi. & *Rapinam rapere*: id est, res alienas per nefas auferre, quæ cum rapiuntur, uocantur rapinæ: cum alioqui rapina potius ipsam raptionem aut uiolentã actionem significet. Rapina Libani obruet te, Abac. 2. pro, quam fecisti aut patraisti in Iudæa. Mich. 3. Væ ciuitas sanguinum, quæ plena est mendacio & direptione, nõ recedit rapina. id est, perpetuo intenta est prædæ. Christus cũ in forma Dei esset, non est arbitratus rapinam se esse æqualem Deo. id est, non est usus aut abusus ea re pro arbitrio, non usurpauit aut rapuit eam sibi: sed potius abstinuit, & quasi priuauit se ea, semet exinanendo, & formã serui accipiendo. *Arbitrari aliquid*, est agere illud: ut in uerbo Arbitrari declarauit. Rapina hic non tam ipsam rem per se aut ius respicit, quàm animu cupidum, sicut raptores sunt prædæ cupidi, & magno impetu in eam inuolant: sicut mox dicam de dicto, Violenti rapiunt regnum cælorum. Christus inquit Matth. 11, A diebus Ioannis baptistæ usque nunc, regno cælorum uis affertur, & uiolenti rapiunt illud: id est, iustificatio & uita æterna aliaque bona adeo sunt liberaliter exposita à patre cœlesti omnibus hominibus, ut ueluti in prædã ac direptionem proiecta esse uideantur. Potiuntur etiam tantis bonis summi fœdissimi que peccatores, ac adeo preciosis thesauris indignissimi: ut sunt meretrices ac publicani, qui omnibus bonis operibus ac meritis carent, quibusque iure infernus, non cœlũ debetur. Indicatur simul, Deum exigere, ut ita uiolenter tanti boni auiditate irrumpamus, sicut milites solent ad direptionem ciuitatis. Quare & Christus tales uiolenter & quasi impudenter ad se irrumpentes maxime amauit: ut Cananeam, cæcum clamantem, perfosores testi, mulieres offerentes infantes, & similes. *Violentia ergo hic, & rapina*, non ipsius facti iniusticiam, sed animi, & etiam facti rapientium tanta bona incitãtam promptitudinem auiditatemque: indicat. Esse, aut *Fieri in rapinam*, pro diripi, Ezechiel. 23, Tradam eas in commotionem & rapinam. Et mox 34 aliquoties repetitur, factum esse gregem Domini in rapinã, sed ipsum id diutius non passurum. Pocula sunt plena intemperantia & rapina, Matth. 23: id est, quicquid habetis in poculis ac patinis, atque in culina & cellario, totaque domo, id tum iniuste ac ueluti rapiendo nacti estis, tum & ad intemperantiam, ebrietatem, uoluptatemque ab utimini. *Plenus rapina*. Vicina præcedenti locutioni est, quod Lucæ 11 dicit Christus ad eosdem Phariseos: Internum uestrum plenum est rapina & prauitate. id est, cor & mens uestra tota obruta sceleribus, totaque est intenta in rapinam & prauitatem. Studium igitur rapiendi aut rapacem mentem, uocat *rapinam*. de quo loco in uoce *Eleemosyna* dixi. *Lupus rapax*, Seductores aliqui dicuntur foris mentiri ouem, intus autem esse lupi rapaces. id est, uel cupidos seducendi homines, uel qui reuera sua doctrina, quantumuis speciosa, homines æterno exitio perdant, instar luporum eos lacerantes. Benjamin dicitur lupus rapax, Genesis 49. Benjamin ut lupus rapiet manẽ, & comedet prædam, & uesperu diuidet spolia. Quod uariè exponunt interpretes. aliqui de Paulo primùm persecutore, postea spiri-

tualium bonorum per doctrinam distributore: aliqui de Esther & Mardocheo Beniamitis, qui tandem suis saluti fuerunt. Non est incommoda & Rabinorum interpretatio, de eo quod tribus Benjamin primum fuit bellicosa & scelerata, cum rapuit concubinam Leuitæ: quodque paulo post aliquoties omnes Israelitas superavit: uerum paulo post superata, aliorum prædæ ac rapinæ exposita fuit. *Spiritualis raptus*, cum Deus uolenter aliquem aufert, siue totum hominem, ut Eliam in curru igneo: aut Philippum apostolum, Actor octauo siue solo spiritu aut anima sicut Paulus secundæ Cor. 12 dicit se raptum fuisse usque in tertium cælum, seque ignorare an in corpore aut extra corpus. Et pij rapiuntur in nubibus obuiam Christo, primæ Thess. 4: quod fiet in glorificato corpore & anima.

RATIO, *λογος*, uaria significata habet, quæ non uolo prolixius persequi, tantum de quibusdam aliquid dicam. Actorum 25, Sine ratione mihi esse uidetur mitere uinctum, & non indicare crimē. id est, absurdum. *Mercatoria supputatio*: Philippens. quarto. Nulla Ecclesia mihi communicauit in ratione dati & accepti, nisi uos Philippenses. id est, nulla in me quicquam contulit stipendij. Alludit ad rationes mercatorum, ubi supputatur quid alter ab altero acceperit, eū uicissim dedit. At Ecclesiæ acceperant quidem doctrinam à Paulo, uerum uicissim ei nihil benefecerant. *Species* hac uoce notatur ad Colossenses secundo, Quæ quidem rationem habent sapientiæ: id est, speciem habent, sed non rem. Vis autem phrasis est talis, sicut Latini dicunt rationem alicuius haberi, aut non haberi, aut eū esse in aliqua existimatione, opinione, aut numero. Nam & hæc omnia ratio *λογος* denotat. Vult ergo Paulus dicere, illa ab hominibus computari aut numerari inter res præclaras, & eximie cuiusdam sapientiæ, cū nullius sint seriæ aut solidæ pietatis ac bonitatis. *Reddere rationem*. Quasi rationem reddituri pro animabus: Hebræorum 13. In Græco est: Vigilant pro animabus uestris, quasi rationem reddituri. id est, ipsi solliciti sunt de uobis, ut puram doctrinam habeatis, rectè in Deū credatis, & piè uiuatis, ne in æternum animæ uestræ pereant, tanquam qui talis suæ functionis cogantur Deo rationem reddere. Non ergo propriè dicit doctores reddituros rationem de alienis animabus, sed de suo officio. Redde rationem uillicationis tuæ. *Petere rationem*, est quærere causam rei. Primæ Petri tertio: Petere aut exigere rationem spei, quæ est in uobis id est, qui flagitauerit à uobis, Quid creditis? aut eū ita creditis? qua tandem ratione nititur ista uestra spes ac expectatio uitæ æternæ? inquit igitur: Sitis parati ad respondendum, uel potius ad apologiam: hoc est, ad defensionem aut excusationem, omni poscenti aut postulanti rationem de ea spe quæ est in uobis. Et ibidem quarto: Qui reddituri sunt rationem ei qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos: id est, qui cogentur non tantum rationem reddere, sed etiam damnationem ob tam iniqua iudicia sustinere, tristissimasque pœnas perpeti. De uoce *λογος*, dicitur in uerbo.

RATIONABILE *obsequium*, habet Vulgata, Romanorum duodecimo. in Græco est, Rationalem cultum: id est, ubi animus uester seipsum Deo per spiritum sanctum offert, non brutas, aut etiam sensu carentes hostias, & alias res externis corporalibusque caeremonijs ac ritibus. Sic primæ Petri secundo iubemur rationabile, aut potius rationale *λογικόν* lac expetere: id est, uel sermonis lac (sermone enim aut doctrina alitur anima nostra) uel intelligentiæ lacte, ita ut prudenter aut intelligenter ueram catechesin accipiamus, non temerè fallam: uel denique lac, efficiens intelligentes.

RATIONALE, fuit quoddam ornamentum

summi sacerdotis in populo Israelitico, cuius forma ac fabrica depingitur Exodi uigesimo octauo. Hebraicè est *חושן* Chosen. Septuaginta uerterunt *λογικόν*, quam Latini expositores & Vulgata est secuta, uertendo Rationale: Monsterus uertit pectorale, quia in pectore gestabatur. Erat autem summa & dignior inter sacerdotalia indumenta uestis, sicut arca summa res erat inter tabernaculi uasa: & utrinque responsa diuina dabantur. Habuit pectorale illud ornamentum, præter duodecim lapides, & nomina filiorum Israel illis inscripta, *Vrim* & *Thummim*, quæ lucem & perfectionem significant: ex quibus summo sacerdoti responsa diuina dabantur. Verum quales fuerint res, nemini mortalium constat. Quidam Hebræorum putant fuisse scriptum quoddam diuinum, aut nomina quædam sacra. Alij putant fuisse lucidissimos lapides, in quibus summus sacerdos uidit iudicium filiorum Israel perfectè. Alij aliud sentiunt, & multa de his rebus retrufis nugantur. Placet mihi, quod hic Rabbi Salomon scribit: nempe quod nedum de Hosea pronunciare non possumus qualis fuerit res: uerum & Ephod, hoc est, simulachrum Ephod, ex contextu non satis dilucide intelligi potest. Quo fit, ut tã ab Hebræis, quàm à Latinis expositioribus uariæ hic inueniantur opiniones.

RECEDERE, *רצו* sur, aliquando contrariam significationem naturæ habet: nempe accedere. Exodi tertio: Recedam nunc, ut uideam istam uisionem magnam, quare rubus igne non absumatur. Et uidens Iehoua, quod Moses recedebat, ut uideret, uocauit eum. Sic Genesis decimonono orat Abrahamus tres illos hospites, ut ad eius tabernaculum recedant. & mox sequitur: Accesserunt ad eum, & intrauerunt in domum eius. Tametsi in loco Genesis tueri posset suam significationem, eo quod iubentur à uia recedere ad Abrahami tabernaculum. Eadem ratione posset excusari, quod Iael in Iudicibus inuitat iubetque accedere in suum tabernaculum Sisseram. Sic enim & ille ex uia recedebat, aut diuertebat ad eam. Quam etymologiam etiam *Diuersoria* habent, eo quod à uia in ea receditur, declinatur, & diuertitur. Kimchi quoque super Amos monet, hoc uerbum Sur aliquando accessionem significare. nam Amos sexto est, Recedet, id est adueniet lectus deliciarum. Citat autem ille prædictum locum Moysi, & præterea Ruth quarto: ubi Booz ad suum propinquum dicit, Recede huc, & sede: qui recedens, sedit. Sic & adulterea dicit, In crepusculo uesperis recede huc: Prouerbiorum nono. David quoque secundo Samuelis sexto, dicitur noluisse adducere arcam ad se. ubi eodem uerbo remouendi, aut faciendi recedere utitur. Ob hæc tot exempla uerbi Sur *recessit*, accessionem significantia, credo rectè posse exponi illa uerba Agag regis Amalekitarum, Recedit amara mors, utique accedit amara mors: deplorante nimirum eo suum triste exitium, sicut Munsterus uertit, & etiam exponit Rabi Kimchi. Correspondet huic ille oppositus Hebraismus, quod accedere *וַיִּגְשׁוּ* aliquando significat recedere: ut Genesis decimonono dicunt Sodomitæ ad Lothum, Accede illuc. pro, recede illuc ad latus, nec sis nobis obstaculo, quo minus perrompanus fores domus tuæ, uiolaturi hospites tuos. Ecce recedis à me, & percutiet te leo: primo Regum uigesimo. pro, statim ubi à me recesseris aut abieris, interficietis à leone. Recedere ad dextram, uel sinistram, est, in aliquo datus extra regiam uiam uerbi Dei declinare. Iosue uigesimo tertio. Sic Iob dicitur fuisse uir rectus, & recedens à malo. Recedere, pro desinere interdum ponitur. Isaiæ decimo quarto: Percutens populos in ira percussione non recedente. id est, non desinente. Sic illud crebrò repetitum in Regibus & Pa-

& Paralipomenis: Veruntamen excelsa nō recesserūt, populo adhuc immolante in excelsis: id est, non desierunt illa idola, aut idololatriæ. *Recedere ab aliquare*, aliquando significat carere ea. Prouerb. 11. Inauris aurea mulier pulchra recedens à sensu. id est, carens ratione ac intelligentia. Isa. 38. Habitatio mea recessit & migravit à me, sicut tabernaculum pastoris. id est, priuatus sum hac uita, sicut tabernaculum pastorum mox aliò amouetur. *Recedere quoque*, ac *recedentes* dicuntur deficientes à Deo & uera pietate. Psal. 14. Vnusquisq; declinavit, simul facti sunt foetidi. Isa. 1. Qua parte percutiemini, addentes amplius recessionem, Sara, apostasia. Et mox principes Iuda uocantur *סוררים* forerim, recessores, apostatae. Recedit autem à Deo non tantū qui idololatriæ se dedit, sed etiam qui desinit sperare in Deum: sicut Cain discedit à facie Dei, non sperans aut quærens amplius eius opem. Sic omnino accipitur illud dictum Christi Luc. 8. Ad tempus credant, & in tempore tentationis recedunt. id est, deficient à uerapietate & Christo, facti Epicurei, aut et idololatræ.

RECIPIO: *Recipere Christum*, aut eius sermonē, emphatica locutio est. Significat enim agnoscere eum, p uero Meschia, ueraq; Dei religione, eamq; amplecti ac colere, ac secundum eius præscriptum, fidem, animum ac uitam dirigere. De tali receptione Christi dicitur Ioannis 1. Sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. ubi, quid sit recipere, mox exponit inquit: Qui credunt in nomen eius. *Recipere Apostolos & Christū*, Matth. 10, significat hospitio accipere, & alioqui humaniter & amanter tractare. *Recipere*, est approbare aut credere. Matth. 11. Si uultis recipere, ipse Baptista est Helias: id est, si uultis aut potestis credere. Non recipient tuum testimonium de me, Actor. 22. id est, non assentientur aut credent tibi. Compensationem sui erroris in semetipsis recipientes, Rom. 1. id est, pœnas turpitudinū in suo proprio corpore pro falsa religione patientes. In uacuum gratiam Dei recipere. 2. Cor. 6 est, tum reconciliationem aut iustificationem peccatis contra cōscientiam excutere: tum & renouationē, qua sunt conditi ad bona opera, non piē exercere. Nonnunquam significat amare, amplecti, ac fouere. 2. Corinth. sexto: Exite de medio eorum: ego recipiam uos, ero uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios. Exponit ipsemet textus, quid sit illud Recipere. Sic & illud Hebræor. 12 intelligendum est, Castigat Dominus omnem filium quem recipit: id est, quem amat, fouet, &c. Sic possis intelligere illud dictum in 3. Epist. Iohannis, Diotrophes nos non recipit. Sic & Actorum 24 dicit Tertullus, se recipere salutaria facta Felicis: id est, agnoscere, magnifacere, amare, ac pro eis illi gratus esse. Vt adoptionem filiorum recipereimus, Galat. 4. id est, consequeremur. Ephes. 6. Quod quisque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. id est, eius præmium consequetur. Sic Coloss. 3. Qui iniuste egerit, recipiet quod inique gessit. id est, præmium eius accipiet. Seducentur, eo quòd charitatem ueritatis non receperunt. 2. Thess. 2. id est, non sunt amplexi, noluerunt habere.

RECORDARI, interdum pro mentionem alicuius facere ponitur: sicut etiam Latini uerbum meminī non tantum pro memoria, sed & pro mentione usurpant. 1 Sam. 20. Si recordando recordatus fuerit mei pater tuus. id est, Si mentionem mei fecerit, cur non in teris solenni conuiuio, excusa me. Sic aliqui exponunt, Pharaonem inter epulandum recordatum esse: hoc est, fecisse mentionem sui pincernæ & pistoris. Sic & illud Christi, In memoriam mei facietis, exponit Paulus per Mortem Domini prædicabit. De qua locutione aliquid paulo post in *Reminisci* dicitur clarius. Sic 2. Sam. 14. Recordetur obsecro rex Iehouæ Dei

tui, ne multiplex consurgat. id est, faciat in hac promissione Dei mentionem, ac per eum mihi iuret, ne cedes meorum liberorum multiplicentur. *Recordari* dicitur Deus aliquorum plerunq; in bonam partem, ac significat opitulari eis, idq; plerunq; post aliquas duras calamitates ac difficultates, in quibus uisus est quasi oblitus fuisse eorū. Sic dicitur Deus recordatus esse Noe, & filiorum in arca existentium, Gen. 8. Ponitur ergo uox animi motum significans, interdum pro eius externo effectu, per metalepsin aut metonymiā. Sic Deus dicitur recordatus Rachelis, Gen. 30. & Annæ. 1. Samuel, 1. cum eas ex sterilibus fecundas fecit. Nam antea eas relinquēs in ignominia sterilitatis, uisus est earum obliuisci. Sic passim in Psalmis & alibi pij orant, ut Deus recordetur eorum: & Deus eorum meminisse dicitur, cum eis opem fert. Aliquando tamen & in malam partem locutio ista accipitur. Psal. 137. Recordare Iehoua filiorum Edom diei Ierusalem, qui dicebāt. id est, memento ut se tum Edomitæ gesserint, & punias eos propterea. *Recordari* Deus dicitur peccatorum, cū non remittit, sed punit ea. Psalm. 79. Ne recorderis iniquitatum nostrarum priorum. id est, condona clementer. *Recordare diei Sabbati*, ut sanctifices illum, id est, obserua diligenter ut sanctifices Sabbatum. Deuteronomij 5. *Recordari* dicitur Deus sanguinis innocentis. id est, ulcisci, Psalmo 9. *Recordari* dicitur Deus sacrificiorum, cum ei accepta sunt, ac nobis propter ea benedicit. Sic Actorum 10 dicuntur ascendisse in memoriam Dei elemosynæ & preces Cornelij centurionis. Contrā etiā peccata Babylonæ meretricis dicuntur ascendisse in memoriam coram Deo, aut Deum illorum recordatū, Apoc. 18. Plurimæ omnino & maximi momenti phrasēs sunt huius uerbi. Verū de illis suprā in *Memini*, *Memoria*, & *Obluiscor*, dictum est. Eadem enim istarum omnium uocum ratio est.

RECTVM, primū propriē significat externam quandam reſtitutionem corporum, superficialium, aut linearum: ut sagitta, hasta aut trabs recta dicitur, cuius contrarium est obliquum, aut obliquitas seu tortuosum. Per metaphoram porrò hæc uox significat omnē laudabile ac probum, ac transfertur ad quasuis res aut actiones laudabiles ac probas. Quæ metaphora est uſitata non tantum Hebræis, sed etiam Latinis ac Græcis. Eadem prorsus natura ac uis est etiam æqui, ab æqualitate planicierum, linearum aut corporū, per metaphoram sumpti. Dixi autem quædam in uoce *Peruersus*, quæ ad huius quoque uocabuli explicationem facere queant: sed hic multo plura dicenda erunt. Sunt autem uaria recta, iusta, aut æqua, prout res ipsæ uariæ sunt, in quibus reſtitudo requiritur: & uaria etiam iudicia hominum, quorum cuique suum pulchrum esse uidetur. sicut Salomon ait, stulto uideri rectam uiam suam: Prouerbiorum duodecimo. & unicuique suas uias uideri rectas, aut probas: Prouerbiorum 21. De aliquot igitur reſti uarietatibus ac significationibus dicamus. Primū igitur frequentissima est locutio, *aliquid in alicuius oculis*, aut *coram aliquo reſtum esse*, aut *uideri alicui reſtum*: quæ significat, aliquid alicui probari aut placere, siue id per se uerè reſtum aut prauum sit. Duo exempla modò protuli, quòd & stulto & cuius sua uia sit reſta in oculis eius: id est, ei probetur aut placeat. Secundo Samuel. 17, dicitur consilium Achitophelis reſtum fuisse in oculis Absalonis: id est, ei placuisse. Sic Ioab dicit ad Dauidem lugentem mortem Absalonis, secundo Samuel 19: Si omnes nos hodie mortui essemus, & Absalon uiueret, reſtum eſſet in oculis tuis: id est, placeret tibi, contentusq; eſſes nos omnes occisos esse, modò illum incolumem haberes. Sic Ieremias inquit capite decimo octauo: figulum fecisse uas, ut reſtum fuit in oculis eius: id est, ut ei libuit.

Sic rex Achis dicit Dauidi: *Vinit Iehoua, quod tu rectus ac bonus es in oculis meis, sed in oculis principum non es rectus: id est, places aut probaris mihi, illis uerò displices. Nectantum hominibus, sed & Deo eadem locutio tribuitur, quòd aliquid sit rectum, aut non sit, in oculis eius. Solet etiam non rarò explicatio addi, quid sit illud rectum in oculis Dei: nempe, id quod Deus præcepit aut præscripsit. ut, Quòd fecisset Dauid id quod rectum erat in oculis Iehouæ: primo Regum decimoquinto. mox exponit quid sit illud rectum, in quiens: Neque declinasset ab ullo eorum quæ præceperat ei. Sic & primo Regum undecimo: Nec ambulauerunt in uijs meis, faciendo quod rectum est in oculis meis. Cum feceris quod rectum est in oculis Iehouæ: Deuteronomij uigesimo primo. *Rectus homo*, dicitur uir probus. Sic Iob capite primo & secundo, dicitur fuisse uir simplex, rectus, & timens Deum. Est autem rectus & æquus, qui neque ad dexteram declinat, neque ad sinistram, qui integri ac sinceri tum iudicij tum affectus est, & esse perseverat, quamcunque in partem oblata uel causa uel occasione: qui non flectitur aut corrumpitur ullis muneribus, sed citra personæ aut proprij commodi respectum recta uia incedit, & rectè iudicat: cuius cor non curuatur aut flectitur à recto, qui que nullius aut timore aut fauore aliquid facit contra æquum ac rectum: nec fauore, nec præmijs aut metu, seu minis pœnarum flectitur: denique, qui cum bene operatur, non suum inde honorem aut commodum (ut hypocritæ) uel præmium uitæ æternæ, (ut iusticiarij) sed Dei gloriam, & proximi utilitatem querit. *Cor rectum* quoque ualde crebrò dicitur & homo *recto corde*, qui scilicet & in doctrina, fide, & in uita rectus ac sanus, Deo que & rectè iudicantibus probatus est. Psalmo septimo: Deus saluos facit rectos corde. Et undecimo: Ecce impij intendunt arcum, & adaptant sagittam in chorda, ut sagittent in caligine reftos corde. id est, ut opprimant & profusos perdant uerè pios. Hæc phrasia creberrima est in Scriptura, qua significatur pietas cordis erga Deum. Psalmo centesimo uigesimo quinto. Benefac bonis & rectis corde. Secundo Paral. uigesimonono: Leuitæ fuerunt recti corde ad sanctificandum se præ sacerdotibus: id est, a lacriores, paratiores, promptiores que. Dicitur aliquando rectum cor alicuius esse erga alium hominem ut Iehu, incidens in uia in Ionadab filium Rechab, inquit: An est cor tuum rectum, sicut cor meum cum tuo? id est, an me uerè ac sincere amas, sicut ego te? Iob trigesimo tertio inquit, Rectitudo cordis mei eloquia mea: id est, certam ueritatem eloquar, id que sincere ac ex animo. Dicitur & Deus rectus, quia est iustissimus, & quia summa clementia ac ueritate agit cum omnibus sperantibus in eum. Psalmo uigesimo quinto: Bonus & rectus est Dominus, propterea docebit peccatores in uia id est, pro sua singulari bonitate ac clementia, non desiderat mortem peccatoris, sed potius ut conuertatur ac seruetur, eo que eos per suam doctrinam ac Spiritum in ueram uiam reducit. Deuteronomij trigesimo secundo: Deus ueritatis, & non iniquitatis, iustus & rectus est. Dicuntur etiam iusticiæ, opera, uia, ac uerbum Domini recta esse, eo quòd illa omnia sunt uerissima, iustissima & hominibus salutaria. Psalmo trigesimo tertio: Rectum est uerbum Domini, & omne opus eius in fide: id est, doctrina Dei uerax est & salutaris. Aliquando dicuntur uia Domini etiam eo nomine recte, quòd sunt faciles, & propalam ueræ. In fine Osee habetur, Quia omnes uia Domini sunt rectæ, & iusti ambulabunt per eas, impij autem corruent in eis, id est sunt planæ, cõspiciuæ, & per quas pij facile sine que omni errore incedere possint: sed impij calumniatores ubique scandalum & occasionem*

erroris ac ruinæ exitij que sui reperiunt. In hoc sensu etiam Paulus dicit Actorum decimo tertio ad Elymã magum, ò inimice omnis iusticiæ, non cessas peruerte re uias Domini rectas: id est, calumnijs tuis simplicissimam & uerissimam doctrinam religionem que Dei obsecrare, deprauare, & erroris insimulare. Via iusti rectitudines, Isaiæ uigesimo sexto: id est, uia æqua & æquabilis & plana erit iusto. In alio porrò sensu uideatur accipiendum, quod Baptista clamat Isaiæ quadragesimo, & Matth. tertio: Præparate uiam Domino, & rectas facite semitas eius. Vult enim ipsa corda parari ad excipiendum Meschiam, eius que beneficia. Id uerò fit, dum homines agnoscetes suam iniusticiam ac damnationem, ab hoc Meschia fide mendicant remissionem peccatorum, aut reconciliationem & uitam æternam. Quare hic uia recta, ipsa uera pœnitentia, & præsertim fides, est. Iehu rex scribit ad Samaritanos, secundo Regum decimo: Videte bonum ac rectum de filijs Domini uestri, & ponite eum in folio: id est, deligite uobis unum ex filijs Achab, qui uideatur aptissimus ad regnum, eum que facite regem. **RECTITUDO** aliquando ipsam æquitatem per sese considerata, ac ueluti in abstracto significat: aliquando uerò in cõcreto rectam ac piã uitam. Integritas & rectitudo custodiant me, quoniam in te speraui, Psalmo uigesimo quinto: id est, serua me in sincera & pia fide ac uita, quandoquidem à te totus pendeo. Prouerbiorum undecimo: Est qui dispergat, & superadditur ei amplius, & parcens ultra rectitudinem, tantum ad egestatem. id est, ultra quam æquum & par est. *Facere rectitudines*. Danielis undecimo: Veniet ad regem aquilonis, ut faciat rectitudines. id est, pacem æquis conditionibus. **RECTIFICA**: pro, rectum fac, ponitur Prouerbiorum quarto: Rectifica semitam pedum tuorum. id est, dirige tuam uitam & actiones. Sicut ibidem sequitur Et omnes uia tuæ dirigantur, ne declines ad dexteram uel ad sinistram. Iudic. duodecimo: Ille autem dicebat, Siboleth, & non rectificabat loqui. id est, non rectè pronunciabat illam uoculam. *Rectus* ישר Iesurum, aliquando significat ipsum Israel, qui rectus uocatur: quia talis professione erat, nempe populus & Ecclesia Dei. Deuteronom. trigesimo secundo: Impinguatus est rectus, & recalcitrauit. Vocatur *rectus* iure, non auctu, seu tantum nominatenus talis. Sic & mox sequenti capite: Et fuit in recto rex, cum colligerentur capita populi, simul que trib. Israel. Isaiæ quadragesimo quarto, itidem populum Israeliticum, id est, totam ueram Ecclesiam hac uoce nominat: Sic dicit Dominus factor tuus, & fictor tuus, qui te adiunxit inde ab utero. Noli timere serue meus Iacob, & Iesurum rectissimè, quem elegi. Sic Danielis undecimo, quidam exponit de Iudæis uocem *recti*, cum inquit: Ponet quoque faciem suam, ut ueniat cum potentia totius regni sui, & recti cum eo, & faciet, ubi per Rectos aliqui intelligunt Iudæos, quia illi tunc erant cultores Dei, qui soli sunt recti: sicut Paulus eos uocat *sanctos*.

REDARGVO, aliquando significat tantum accuso, reprehendo. Eph. quinto, Opera eorum potius redarguite. *In ore alicuius esse redargutiones*: id est, qui potest respondere. Et factus sum sicut uir qui non audit, & in cuius ore non sunt redargutiones. id est, qui nequeat respondere, inops responsionis. Actor. 19. Periculum est ne nobis ista pars ueniat in redargutionem: id est, ne istud lucrum fabricandorum templorum & imaginum, refutatam à Paulo, nobis profus pereat, & ab omnibus, pro uanissimo habeatur ac irrideatur, ut id quod propalam euidenter que: pro inanissimo conuictu deprehensum que est.

REDDO, non admodum obscurum aut difficile est: unam igitur aut alteram tantum eius locutionem annota-

annotabo. *Reddere malum in caput alicuius*, est, eum punire propter sua scelera. Iud. 9, Reddidit malum Deus in caput Abimelech. id est, sceleratum eius factum ac regnum in ipsius proprium exitium conuertit. Psalmo trigessimoprimo: Reddidit propter superbiam facienti superbè. Prouerbiorum 11, Ecce iusto in terra reddetur, aut rependetur, quanto magis impio: 1 Sam. 26, Iehoua reddat uiro iusticiam suam. id est, repèdat ei præmium suis factis dignum. Sic etiam in Nouo testamento sæpius dicitur, quod reddetur unicuique secundum opera sua, Matth. 16. & Romanorum secundo. Sic & Matth. 6 aliquoties repetitur: Pater tuus qui uidet tuas elemosynas, preces aut ieiunia in occulto, reddet tibi in propatulo: id est, remunerabitur te. *Reddere iuramenta*, Matth. 5. id est, res iuramento promissas. Sic sæpe in Veteri testamento, reddere uota: id est, res uoto promissas. Psalm. 22. *Reddere testimonium alicui*, aut alicuius rei, Act. 4. Apostoli magna uirtute testimonium reddebant resurrectionis Christi: id est, liberrimè, constantissimè & efficacissimè concionabantur, ac docebant de resurrectione Domini. Sic & conscientia & Spiritus dicitur alicui reddere testimonium. Reddere aliquando significat ultro primùm aliquid dare aut facere. Sic dicuntur timuisse fratres Ioseph, ne eis rependat, sicut reddiderant ei: id est, primi ultroq; malefecerant. Sic & Apoc. 18 præcipit spiritus, ut pij rependant Babyloniæ meretrici, sicut illa reddidit eis. id est, prior ultroq; malefecit corrumpendo doctrinam, & dura seruitute eos premendo.

REDIMO uerbum sua compositione sonat, quasi iterum emo, id quod antè à me in alienam potestatem aliqua ratione aut iure transiit. Sic res Deo offerendas, & tamen ad oblationem parum idoneas, aut quas alioqui non libenter amittebant Iudæi, redimere iubentur Numeri decimonono: Sed redimèdo redimes primogenitū hominis, & primogenitum iumentum immundi. Valde crebrò hoc uerbum significat liberare: quod inde factum est, quia qui in tristem seruitutem erant uenditi aut rapti, redimebantur data pecunia. Sic & facinorosi, nõ rarò data pecunia ex castigatione corporis liberabantur, iuxta Regulam: Qui non habet in ære, luat in corpore. Exempla, ubi liberationem significat, planè innumera sunt, quorum aliqua recitabo. Exodi sexto: Redimam uos brachio extenso: id est potenter agendo, grandia miracula edendo, & tristibus pœnis Ægyptios affligendo, liberabo uos. Ieremiè decimoquinto: Eruiam te de manu pessimorum, redimā te de manu fortium. *Redimere à bello in pacem*. Psalmo quinquagesimo quinto, Redemit in pacem animam meam, à bello quod erat aduersus me: pro, eripuit me ex prælio, & restituit mihi pacem. Iob quinto: Redimet te in fame à morte. Psalm. 103, Qui redimit de fouea uitam tuam: id est, liberat animam tuam à sepulchro aut etiam inferno. Psalm. 107. Dicant redempti Iehouæ, quos redemit de manu inimici: seipsum declarat. Psalm. 111, Redemptionem misit populo suo: id est liberationem. Vicina, & tamen magis propria huic uerbo significatio est, cum ita significat liberare aliquem ut detur pro eo precium aut compensatio aliqua, sicut pro bello captis liberandis certa pecunia numeratur. Psalm. 111, Fratrem redimendo non redimet uir, nec dabit Deo precium redemptionis eius. id est, non poterit dato precio Deo liberare eum, ne memoriatur: quasi persuasione magnitudine precij Deo, ut illi parcat, & patiat eum diutius aut semper uiuere, sicut in bello interficiendi orant uictorem, magna pollicendo, ut sibi parcat. Psalm. 130, Multa est apud Iehouam redemptio, ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus suis: id est, dato precio passionis Christi liberabit. siquidem fœcunda & præpotens, perpetuo

que ualens ac uigens est illa eius redemptio aut liberatio. Gal. tertio: Christus redemit nos de maledictione legis, factus maledictio: id est, semet dedit legi puniendum, ut nos ab eius pœnis liberemur. Sic sequenti cap. Christus factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Qui dedit semetipsum, ut nos redimeret ab omni iniquitate: Tit. secundo. Sic primæ Petri primo: Non estis redempti auro aut argento. Apocalyp. quinto: Qui nos redemit Deo, suo sanguine. *Redemptio* aliàs ipsam actionem liberationis, aliàs ius aut potestatem liberandi aliquem, aliàs denique precium quo quis redimitur, significat. Exodi uigesimoprimo: Si redemptio ei imposta fuerit, det precium aut redemptionem animæ suæ, secundum quod fuerit positum super eum. Vbi prius redemptio uidetur significare ius aut facultatem se redimendi, quæ à iudicibus tali reo concessa est: posterius autem, notat ipsum precium. Galli corrupto uocabulo, deglutitisq; pluribus literis, pro redemptione dicunt ranson: quod iam etiam Germanici milites usurpant. Iob trigessimosexto, Magnitudo redemptionis non faciet te declinare. pro, quantumuis magnum precium redemptionis dederis, non liberabit te ab imminente plaga Dei. Exodi trigesimo: Redemptionem animæ suæ dabit, ne sit plaga in populo. id est, sacrificium pro redemptione. Sic Isaiæ quadragessimotertio: Dedi precium redemptionis tuæ Ægyptum. id est, Ægyptum pro te puniri faciam, ut tu euadas: sicut si pater suam iram & castigationem auertat à filio in canem, aut seruum. Redime tibi redemptionem meam. id est, ius propinquitatis & redimendi bona, & accipiendi uxorem fratris mortui.

REDEMPTOR, ῥυτρωγοῦ, crebrò significat propinquum, qui ius habet redimendi bona ab altero propinquo alicui uendita. Leuit. 25. Cum attenuatus frater uendiderit de possessione sua, tunc ueniet redemptor eius propinquus ipsi, & redimet uenditionem fratris sui: uir autem qui non habuerit redemptorem, si manus eius apprehenderit, &c. Num. 5, Si non fuerit uiro illi propinquus, cui restituat delictum. *Redemptor* aliquando significat quemcunque liberatorem. Ier. 50 Redemptor eorum fortis iudicando iudicabit iudiciū eorum. id est, Deus ipse est eorum uindex. In Isaiæ sæpissimè Deus dicitur redemptor piorum: id est, liberator, cap. 41. 43. 44. Sic & Act. 7, Moses uocatur redemptor: quia fuit minister Dei in redimendo populo. Verùm Christus est unicus ac uerus redemptor populi sui. Cùm enim essemus captiui & serui pœnæ, iræ Dei, legis, Satanæ, peccati, mortis & inferni, ut nos à tot fortissimis & acerbissimis dominis liberaret, dedit animam uitamq; suam pro nobis. Quandoquidem enim per peccatum aut iniusticiam inobedienciæ, ceu per quoddam ingens debitum, in irâ Dei, & istam tam horridam seruitutem incideramus: ille sua exinanitione, passione & obedientia præstitit iusticiæ ac legi Dei plenissimam iusticiam, quam illa à nobis exigebat, eamq; per solutionem nobis applicuit. Legimus igitur Matth. 20. Marc. 10. 1. Timoth. 2, quod Messias dederit se suamq; uitam redemptionem pro genere humano. ubi *Redemptio* significat ipsum precium, datum pro redimendis peccatoribus. Græca etymologia ῥυτρωγοῦ ualde elegans est. nam cum captiui uincirentur, eūq; liberandi iā essent, & liberi dimittendi, necessariò ex uinculis cathenisq; soluebantur, quod eis est λύσσω, à tertia præteriti λύσσω, fit nomen ῥυτρωγοῦ, quasi tu dicas. Solutorium: id nempe præmiū, quod pro soluendo aut liberando aliquo ex uinculis datur. sicut didactron, præmiū pro docendo, simile quid uidetur habere solutio, quæ licet debiti æris depensionem notet, tamè à solutione uinculorū deduci uidetur. Inde porrò uenit uerbum ῥυτρωγοῦ, & ἀπολυτρωγοῦ: quod est, dato præmio

aut precio solutionis ex uinculis aliquem libero. Quare in Matthæo & Marco est λύτρον, in Paulo uerò ἀντίλυτρον. Quæ uox, ut dixi, ipsam propriè precium aut præmium significat. Cæterùm redemptio, λύτρωσις aut ἀπολύτρωσις, significat tum ipsam actum liberandi, tum & liberationem aut libertatē iam effectā, partamq;. Sic Luc. 1 & 2 legitur, cū dicit Zacharias, Benedictus Dominus Deus Israel, quod inuiserit & fecerit redemptionē populo suo, & erexit cornu salutis. Et Anna prophetissa loquebatur de puero Meschia, omnib. qui expectabāt redemptionem in Ierusalem. Luc. 21: Leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. id est, liberatio plena & ultima. Sic pro finali liberatione ponitur 1 Cor. 1, Qui factus est nobis redemptio. & Romanorum 8, Expectantes adoptionem redemptione corporis nostri. id est, plenam instaurationem. Ephe. 1, Coloss. 1: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ. ubi ista inchoata liberatio in hac uita. nempe iustificatio denotatur, sicut suprā audiuius. ex cæ-
 20 tico Zachariæ. At Ephe. 4, Ne contristetis spiritum illum sanctum, quo ob signati estis in diem redemptionis, in extremam diem, qua perfectè redimemur: plena, ac (ut ita dicam) finalis redemptio priorum indicatur. sicut & suprā diximus de loco Lucæ 21, & Rom. 8. Porro Hebr. 9, Inuenta aut parta redemptione æterna, utramq; significat. Ibidem: Itaque ob id noui fœderis mediator est, ut morte intercedente, ad redemptionē earum transgressionum quæ fuerant sub priori testamento, uocati, promissionem accipiant æternæ hereditatis. ubi redemptio expiationem significat peccatorum. Denique Hebræor. 11, significat temporariam redemptionem seu liberationem ab aliqua magna calamitate, & morte ipsa. Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos: alij uerò distenti sunt. non expectantes aut negligentes liberationem ut potiore resurrectionem nanciscerentur. Exodi 8, propria quadam ratione uox Redemptio usurpatur. inquit enim Deus ad Pharaonem: Ponam redemptionē inter populū meū, & inter populum tuum. Cras erit illud signum: id est, 40 populum meum liberabo ab insectis, quæ immissurus sum tibi ac populo tuo. Redemptio igitur ibi significat discrimen redemptionis, aut redemptionem uel liberationem discriminantē inter illos duos populos, quorum alter liberabitur custodieturq; à malo, alter uerò carebit illa liberatione. Colonenses Theologi uocem Redemptionis, Romanorum 3, de ipsa Christi morte intelligunt: uoluntq; dici, redemptionem esse causam efficientem iustificationis. quare etiā præpositionē PER, ibi uolenter commutant in EX. Verum quod non 50 causam efficientem, aut meritoriam, aut passionem significet, sed ipsam liberationem aut redemptionem à peccatis, ex eo apparet: quia præcessit causa efficiens, nempe gratia, id est, fauor Dei: & causa meritoria mox indicatur, cum sanguis Christi hoc effecisse dicitur. Illa ipsa locutio, per redemptionem in CHRISTO IESU, indicat, redemptionem non significare passionem, sed id quod habemus ex Christo Iesu. non enim dici solet, Mors in Christo Iesu: sed bona aut beneficia quæ nos ex eo, aut ab eo habemus, in eo esse dicuntur. Præ-
 60 rea ipsemet Paulus semet disertissimè exponit. Cum enim dixisset, Iustificamur per redemptionem quæ est in Christo Iesu: mox addit explicationem, Quem Deus proposuit propitiatorū per fidem in ipsius sanguine: quod nempe eatenus eius redemptione iustificamur, quatenus ille nobis, fide eius sanguinē aut passionem intuentibus & apprehendentibus, patrem reconciliat. Docet ergo, istam redemptionem esse reconciliationem cum Deo, quæ est etiā absolutio aut iustificatio à peccatis. Postremò Paulus ipse perspicuis-

simè declarat, quid ei sit redemptio, cum eam ostendit esse ipsam remissionem peccatorum. Coloss. primo, & Ephesiorum primo: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. ubi, remissionem peccatorum, per appositionem addit, ostendēs esse ipsam redemptionem. Vbi & illud obseruetur, quod contra istam Colonensium imposturam separat redemptionem à sanguine aut passione Christi, ut effectum à sua causa. Verum de eo Pauli loco, & Colonensium corruptela, etiā suprā in præpositione PER dixi. Redimētēs occasionem aut opportunitatem, quia dies mali sunt: Ephe. quinto. id est, rectè utentes tempore & occasione. Idē Coloss. 4. dicitur ac præcipitur.

REDIGERE in puluerem, est abolere, aut pessundare: ut & Homerus dicit, fieri undamque terramq;. Iob 13, redigi in lutum. Redigi ciuitatem in acruum, est euertere. Iob decimo quinto. Redigi aliquem in nihilum, ualde crebrum est. Psalmo septuagesimo tertio, Imaginē eorum rediges in nihilum: id est, ipsos & eorum statū aut gloriam. Redacta est Babel in desolationem, Ieremiæ quinquagesimo. Sic & Ezechielis trigesimo quinto. In seruitutem redigo corpus meum, 1 Corinthiorum 9 pro, domo ueterem carnalemq; hominem.

REDIRE facere retrorsum. Thren. 2. Redire fecit retrorsum dexteram suam à facie inimici. id est, negauit aut subtraxit eis auxilium, cum uentum est ad hostilē conflictum. Contrarium est ei, Extendere dexteram in aliquem. Ambæ hæ locutiones sunt Isa. decimo quarto, Manus eius extensa est, & quis redire faciet eam? pro, auertet, reflectet. ne scilicet pergat cedere suos ad uersarios. Sic Redire facere ab iniquitate dexteram suam, Ezechielis decimo octauo, pro retrahere. Redire facere uerbum, Numer. decimotertio, est responsū referre, aut remittere. Redire fecit in locum suum: pro, restituit suæ dignitati, Genesis quadagesimo. Operabor, & quis redire faciet illud? Isaia quadagesimotertio: id est, quis irritabit, retundet, aut obsistet? Redibit, reedificabitur platea, Danielis nono: pro, rursus reedificabitur. De quo Hebraismo dixi in Regulis Vniuersalibus, quod ita sæpe uerbum uerbo adiungant, ac si alterum esset aduerbium: Redire hic, pro rursus. Genesis 30. Reuertar, & pascam oues tuas. id est, rursus pascā. Spiritus uadens, & non rediens, Psal. 78. id est, anima exiens ex corpore, & non rediens in illud in hac uita.

REGENERATIO, exponetur infrā in uoce Renascor.

REGIS nomen hic exponemus, unā cum uoce Regnum, & uerbo Regno. Regis nomen olim gubernatoribus ualde commune ac peruulgatum fuit: ideoque etiam minoribus regulis, satrapis ac dynastis est tributum. Iud. 1. ait Adonibezek, LXX reges amputatis pollicibus manuum & pedum, colligebant micæ sub mēsa mea. Vnde facile est conijcere, cum ipsemet Adonibezek non fuerit adeo potens, illos septuaginta regulos fuisse admodum tenuis sortis ac parue regionis gubernatores. Alioqui creuisset in immensum eius potentia, spoliatis tot regibus. Idem ex eo intelligitur, quod Ios. 11, numerantur 31 reges, quos Iosua debellauerit, quique tantum in terra Canaan imperitarint. Sic cum Genesis trigesimo septimo dicunt parentes ac fratres ad Iosephum, Nunquid rex noster eris? intelligunt de communi quodam gubernatore, non de amplissimo regno. Iudicum etiam 17, 18, & 21 dicitur, tunc non fuisse regem in Israel, sed unumquemque fecisse quod sibi bonum uisum sit. ubi per Regem opinor intelligendum esse summum gubernatorem, uel unum, uel plures in Israele, ita ut fuerit planè dissoluta anarchia, & quisque pro suo arbitrio egerit ac uictauerit. Nam alioqui nec antè, nec mox postea, reges fuerunt in Israele: neq; tamen talis anarchia semper fuit, ut quisq;

ut quisq; facere posset quod uellet. Quare ut significet Scriptura, quemq; pro libitu sibi uixisse: dicit, tunc nō tantum regem, sed & alioqui nullum superiorē gubernatorem extitisse. In hac significatione credo & Christum hanc uocem usurpare, & omnes gubernatores cōplecti, cum dicit Luca 22: Reges gentium dominātur eis: id est, principes aut gubernatores politici solēt potenter & fastuosē imperitare suis subditis. at in Ecclesia mea nullum tale regimē erit, sed longē alia politia. Talis regulus aut potens uir fuit Iebuseus Arafna, 2. Samuelis 24: qui Hierosolymis habitabat, & adorans Dauidem ait: se regem regi Dauidi donare arēa & boues ad sacrificiū. Plerunq; alioqui Rex significat istam summam dignitatem gubernationis, politicā, quā omnes alios gubernatores sub se habet, ut cæteris præcellens, sicut Petrus loquitur. Sic accipiendum est hoc nomē, cum in primo libro Samuelis Israelitæ regem petunt: cumq; id eos aliquando petiuros, Moyses Deuter. 17 prædicat. Porrō supra illos reges fuerunt *Monarchæ*, qui se Reges regum, & Dominos dominantium appellauerunt: quibus epithetis aliquando etiam Deus ipse ornatur, quia ille demū est uerē Rex regum & Dominus dominantium: 1. ad Timoth. 6, & Apoc. 19. Porrō Hieronymus annotat de regum Israeliticorū & Iudaicorū appellatione, quōd Rex Israel & Rex decem tribuum idem sit. Nam post diuisionem, aut potius dilacerationem regni Hebræorum. ætate Roboam & Ieroboam, cœpit rex Israel uocari Rex decem tribuum: rex uerō Iuda, Rex duarum tantum reliquarum, nempe Iuda & Benjamin. Regnum Israel signatur sæpe hisce nominibus, in libris Prophetarum: Ephraim, Samaria, Israel, Ioseph, Iezrael, Bethauen, Bethel, & interdum Iacob. At regnum Iuda, hisce nominibus: Iuda, Ierusalem, & Benjamin. hætenus Hieronymus. Varijs modis aut epithetis ornatur regnū Dei, seu cū ille rex dicitur. Primum enim per excellentiam Rex uocatur, quia & solus, & summus uerūq; Rex: & quia etiam reipsa solus iure opereq; ipso regnat, cū terreni reges sæpe dormitent ocidentur, aut etiam regantur potius quā regant. Quare emphatica quadā potentiq; significatione ipsi hoc officium adscribitur cū alibi, tum in fine Dominicæ orationis, ubi dicitur: Quia tuum est regnum, tua est potētia, tua est gloria, in secula seculorum. quasi dicat, Ut ut uideantur quidam esse reges in hoc mundo, & se nihil non posse iactitent: tu tamen es solus uerus ac summus rex, tuumq; est proprium regnum uniuersæ terræ & totius mundi, omniumq; creaturarum. Quare merito hæc à te solo petij, & petō. Sic & Psal. 22 dicitur: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentibus. Psal. 5 & 84, & sæpe aliās in Scriptura pij dicunt. Rex meus & Dominus meus: testificantes se nō tantum spiritualia bona & auxilia, sed etiam temporalia, non tantum occultam ac religiosam seu Ecclesiasticam gubernationem ac defensionē ab eo solo petere, perinde ac si nullum politicum gubernatorem ac defensorem haberent. Psal. 29 dicitur de Deo, Sedebit rex in æternū: quo perpetuitas huius regis indicatur. Dicitur & terribilis, rex magnus, & rex omnis terræ: Psal. 47. Vidi regem Dominum exercituum, Isaiæ 6. id est, cui omnes exercitus sunt subiecti. Vocatur porrō & filius Dei, Rex peculiari modo: quia præter illud cōmune tribus personis regnum, habeat etiam propriū regnum in Ecclesia: quam tum spiritualiter, tum & æterni modo regit, suppeditans ei omnis generis bona, eamq; contra omnes omnium furōres defendens ac propugnans. De quo legitur Psal. 2: Ego autem constitui regem meum super montem Zion sanctum meum: pete à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuā fines terræ. & Psal. 110: Sede à dextris meis. Hic idem Rex uocatur *Rex gloria*, Psal. 24: id est, qui non

tantum ipse per se ac pro se est gloriosus ac præpotēs, sed qui etiam alios glorificat, & autor instauratorq; est amissæ gloriæ humano generi, atq; adeo etiam ipsi patri cœlesti suam gloriam per satanam uiolatā in primo lapsu hominis restituit. Vocatur & Melchisedek Rex Salem, Hebr. 7: id est, rex iusticiæ ac pacis. & præterea (ut ipse coram Pilato testatur) *Rex ueritatis*: primum, quia & affert, spargit & cōseruat ueram doctrinā mundo: deinde, quia iustificat peccatores, eosq; etiam ad iustam uitam suo sancto Spiritu refingit: postremò, pacis rex est, quia affert conscientijs pacem, Deumq; peccatoribus placat eisq; æternam pacem, tranquillitatem ac felicitatem, liberatis à mala cōscientia, ira Dei, & à tenebris ac pœnis inferni, parit. Ita non ocioso nomine, sed reipsa ac efficacia est rex ueritatis, iusticiæ ac pacis, uera docens, ac ueraces homines reddens, iustificans & renouans eos ad iusticiā, ac deniq; pacem eis largiens. Vocatur & agnus rex regum, & Dominus dominantium: Apoc. 17. Dicuntur & idola interdum reges, ut Zoph. 1: Exterminabo eos qui adorant in tectis militiam cœli, & eos qui iurant per Iehouam simul, & regem eorum. id est, (ut Hebræi exponunt, & textus ipse præ se fert) per idolum eorum, quod illi etiam pro rege suo & Deo suo habebant: sicut pij Iehouam suum regem ac Deum nominarunt. Quin etiam nomen proprium idoli fuit Melchon, 2. Reg. 23. 1. Par. 20. & Ierem. 49: quod nomē Hebraicè idem sonat ac Rex eorum. Satan quoq; princeps mundi & tenebrarum, uocatur *Rex* nam Apoc. 9, dicuntur illæ horrendæ locustæ habere super se regem Angelum abyssi. & Iob 41, uocatur rex super cunctos filios superbix: id est, super omnes impios. Christus quoq; tribuit Satanæ regnum, in quiens: Si alius Satan Satanam eijcit, quomodo consistet regnum eius? Psal. 60, & 108, Iuda uocatur rex Dauidis. id est, regnum eius: quia præcipuum robur ac fidelitas, aut etiam sedes regni Dauid, fuit in tribu Iuda. Per me reges regnant, inquit Sapientia Prouerb. 8: id est, meo præsidio, aut per me adiuti. nisi enim sapientes sint, non diu manent incolumes. Sic & Isaias ait cap. 32, In iusticia regnabit rex, & principes præerūt in iudicio. Tēpus regis unius exponit Isaias cap. 23, quōd sint anni 70. Isaiæ 49, gloria Ecclesiæ tempore Christi futura celebratur, adeo ut reges surgāt & adorēt Meschiam, utq; sint nutricij Ecclesiæ, & reginæ nutrices: quinetiam, ut puluerem pedum Ecclesiæ, ante eam procumbentes, lingant. Quo significatur, etiam summos ac potentissimos homines colla ceruicisq; suas Christi iugo submissuros. & Ecclesiam religionemq; eius promoturos. Christus negat se esse regem huius mundi: & tamen uocatur rex Iudæorum. ubi Iudæi, nō illam regionem aut politiam, hominesq; significant. sed pios, aut Ecclesiā, seu ueros Israelitas, super quos ille propriè rex ac dominus est, regēs eos spiritualibus bonis, ueritate, iusticia ac pace, ut supra diximus. Christiani quoq; uocātur *Reges*, quia sunt hæredes mundi, & regnāt super Satanam, eiusq; organa, quæ habent potestatem calcandi citra nocementū. Apoc. 1, Fecit nos reges & sacerdotes Christo. Sic & 5 dicitur: Fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram. *Coram rege stare*, supra in *Coram* explicatum est, & mox in uerbo *stare* exponitur. *Rex terrorum*, est ipse cacodæmon. sed Iob 18 aliqui exponunt de summo terrore, periculo, aut calamitate: Fiducia eius faciet eum incedere ad regē terrorū. Quasi dicat, sua ppria cōsilia perducēt eum ad summam calamitatem, pericula & terrores. Vicina huic locutio est, Primogenitus mortis: pro grauissimo morbo. Rex Sefac postremus bibat calicem, Ier. 26. i. Rex Babel ultimus inter prædictos castigabit. Ex nomine Regis, *Regnū* quoq; eiusq; significata intelligi queūt. Primum. n. est regnū Dei ac cœlorū, qd̄ i uaria significata diduci pōt.

Nam *Regnum Dei* accipitur, quatenus est Rex & Dominus omnium creaturarum, etiam diabolorum & inferni ipsius, & ipsum etiam regnum Satanæ sibi subiectum habet. Item, quatenus specialiter erat Rex ac Dominus Israelitarum: sicut dicit Samueli, populum, petendo ac constituendo sibi hominem regem, ipsum Deum reiecit, ne super ipsos regnaret: quia uolebat illum populum sibi peculiarem præ alijs gentibus, non tantum in spiritualibus, sed etiam in corporalibus ac regimine politico, negocijsq; ac consilijs belli & pacis ex se solopendere, & ab ipso omne regimen petere: non in suum regem aliquem mortalem homuncionem respicere, & ab eo pendere. Est & aliud *Regnum Dei*, quod tantum spirituale est, & solummodo ratione religionis, & super eos qui uolunt esse ipsius cultores: cui opponitur regnum Satanæ. Postremo, est regnum Christi super Ecclesiã: qui quatenus est mediator, redemptor, & gubernator suæ Ecclesiæ, speciali & quasi propinquo, ri quadam ratione dicitur esse rex eius, quàm pater: aut quatenus etiam ipse est cum Deo patre & Spiritu sancto uerus ac æternus Deus & piorum rex. Vt uero eo melius hoc Christi regnum (quod Paulus 1. Corinth. 15, patri tradendum esse, ac desitutum affirmat) intelligi possit, adscribam breuem eius explicationem. Christus homo & Ecclesiæ caput, Dei respectu dicitur Deo subiectus, mundi uero respectu regnare: quia scilicet ministerio suo defunctus, & ad dexteram patris euectus, omnem potestatem accepit in cælo & in terra: qua ratione rex cæli & terræ designatus est, sed ita, ut Deus per eum hæc omnia administret. quo rursus respectu Deo subijcitur. Postum est autem illud Christi regnum tum in gubernandis fidelibus, ut magnificè describit Apostolus Ephes. 4. tum in debellandis aduersarijs, inter quos etiam Mors disertè numeratur ab Apostolo, ut scilicet ad resurrectionem mortuorum illa descriptio accommodetur. Debellatis igitur cunctis ad unum hostibus, sublatisq; omnibus illis gradibus qui illi regno & administrationi seruibant, fidelibus deniq; uictoriam adeptis, & capiti suo prorsus coniunctis: cessabit scilicet illud regnum, quod inferiorum respectu obtinebat: idque nulla cum Christi imminutione, sed summa cum gloria: ut si quis præses prouinciæ re omni prosperè confecta domum rediret ad triumphum. Tunc igitur Christus homo iam integer, id est, cum membris suis omnibus (quæ uocat Apostolus, Christi *ἰσχυρὰ*, Ephes. 1.) Deo plenè subijcitur, ut omnes plenè Dei gloria impleantur: omnes inquam, nullo medio interposito uelo, Dei contemplatione felices ac beati in æternum perfruatur. Nam quo propior erit ista subiectio, eo maior erit felicitas. Interim uero Christus semper eminebit, tum quia Deus est, patri in omnibus cum Spiritu sancto æqualis: tum quia Ecclesiæ caput, sed quæ tum erit cum eo cohæres: ac proinde, non tam illi subiecta, quàm cum eo coniuncta, idque prorsus gratis.

¶ Nunc percurramus quasdam phrasas, ac loca Scripturæ, de istis præsertim spiritualibus regnis. Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum, Math. 3. ubi *regnum cælorum*, aut cælestis, ipsam tum acquisitionem iusticiæ, aut remissionis peccatorum, renouationis ac uitæ æternæ, Christi morte acquirendæ: tum & eorundem bonorum distributionem, aut applicationem significat. Respicit autem hoc genus locutionum ad tot promissiones de aduentu Meschiæ, eiusque regni factas: quod regnum etiam uulgò appellarunt regnum cælorum, quia Meschiã singulari quadam ratione à Deo mittendum, eiusque regnum planè diuinum, diuinitusque excitandum credebant. Cum ergo dicitur uenire regnum Dei, intelliguntur illa ingentia bona, quæ Deus nobis per Meschiã erat communicaturus. In hoc sensu ista

uox innumeris in locis accipitur. Sic etiam 4. cap. Matthæi accipiendum est, Prædicans Euangelium regni: id est, doctrinam de aduentu Meschiæ, ac bonis beneficijsque eius. Regni igitur, uult subintelligi, per Meschiã excitandi. Marci 15: Ioseph ab Arimathia expectabat regnum Dei. id est, bona spiritualia per Meschiã afferenda, præsertim iustificationem & adoptionem. Sic etiam credo in Dominica oratione regnum Dei complecti iustificationem, donum Spiritus sancti, & uitam æternam. Præcedenti enim capite, doctrina pura de hoc regno, & uera agnitio Dei flagitur. Porro in tertio petitur renouatio, & facultas obediendi, ipsaque obedientia, ac boni euentus piorum conatum. Hoc regnum Dei non uenit cum obseruatione, seu ita ut facile obseruari ac cerni queat. de quo in uoce *Obseruatio* dictum est prolixius. Ad hoc porro regnum non est idoneus, qui retrò respicere solet. Idem est etiam regnum gratiæ. & Paulus Coloss. 1. inquit: Qui liberauit nos de potestate tenebrarum, & transfudit nos in regnum filij sui dilecti, &c. Sic puto hæc uocem accipi etiam, cum dicitur, *Regnum cælorum uim pati*. & Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei. item, Qui audit uerbum regni. & Peruenit in uos regnum Dei. & Regnum Dei intra uos est: Annunciare regnum Dei: Loqui de regno Dei. Rom. 14: Regnum Dei non est cibus aut potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto, ubi regnum Dei uicinam prioris significationem obtinet, & tamen nonnihil diuersam. In prioribus enim exemplis illa bona expenduntur, quatenus à Christo nobis communicantur. Hic autem, quatenus nos eis fruimur. Sic 1. Corinth. 4. Regnum Dei non est in locutione, sed in uirtute. Porro, cum sepe comparat Christus regnum cælorum cum semine, grano sinapis, fermèto in massam positum, thesauro abscondito, margarita, fagina, & similibus rebus aut parabolis: significat ea uox totam illam propagationem regni Christi, seu totum illud regimen Christi in sua Ecclesia. Sic Matth. 20: Auferetur à uobis, & dabitur genti facienti fructus eius. Marci 12: Non es longè à regno Dei. id est, à cognitione ueræ religionis, seu ab agnitione Meschiæ, eiusque regni. Aliquando ipsam prædicationem Euangelij notare uidetur. Coloss. 4: Hi soli adiutores in regno Dei sunt mihi. Significat etiam regnum Dei interdum ipsam Ecclesiã, ut Matth. 13, Angeli colligent de regno eius omnia scandala. id est, ex Ecclesia auferent scandala. Sic scriba doctus in regno cælorum. id est, minister Ecclesiæ idoneus, ac peritus sinceræ theologiæ. Accipitur creberrimè regnum cælorum, aut Dei, de illa æterna felicitate: ut cum crebrò dicitur, Intrare in regnum cælorum, aut Dei: accipere regnum cælorum, aut Dei: aperire & claudere in regno cælorum: comedere aut bibere in regno cælorum: castrare se propter regnum cælorum: Talium est regnum cælorum: meretrices & publicani præcedent uos in regno cælorum: Querere regnum cælorum: Patri concupuisse, dari regnum cælorum suo pufillo gregi. Videre regnum Dei, Iohan. 3: tametsi ibi exponere possis etiam de agnitione huius presentis regni Christi, eiusque ueri cultus ac beneficiorum. Iniqui regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. Caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt. Sic & Ephes. 5: hæreditatem accipere in regno Christi. Qui nos uocauit in suum regnum ac gloriã, 1. Thess. 2. Saluum faciet in regnum suum: 2. ad Tim. 4. Magnū aut paruū uocari in regno cælorum: id est, esse in uita æterna talè. Regnum Christi, aliquando glorificationem Christi declarat: ut dexter latro clamat, Memèto mei, cum ueneris in regnum tuum. Et Pet. 2. 1: Subministra bis uobis introitum in regnum Christi æternum. Sic possis accipere, quod mater filiorum Zebedæi petit, ut in regno Christi alter sedeat ad dextram, alter ad sinistram: tametsi ipsa mundanã quandã glorificationem somniarit, non spirituale aut cælestè.

In eodem sensu uidetur Christus usurpare regnū Dei, cum ait Marci 9: Sunt quidam hic astantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum Dei uenire in potentia: uel, ut Marcus habet, Donec uiderint filiū hominis uenientem in regnum suum. Quod credo accipiendum esse tum de glorificatione filij Dei, quæ mox post sex dies in mōte Thabor sequuta est: & multo magis de gloria resurrectionis ac ascensionis: tum & de propagatione gloriosa regni Christi, dato Spiritu sancto uisibiliter, patratifq; tot miraculis, quod Marcus dicit, regnū Dei uenire in potentia, aut potenter. De eodem regno Christi ait angelus ad Mariam: Dabit ei Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit super domū Iacob in æternum, & regni eius nō erit finis. id est, perpetuō gloriosē præerit Ecclesiæ suæ. Multo magis significat ultimam perfectissimamq; glorificationē, quæ fiet in extrema die. 2. Timoth. 4, Qui iudicaturus est uiuos & mortuos in illustri suo aduentu & regno suo. Filij regni aliās dicuntur ueluti potentialiter, aut de iure, ij qui debebant esse genuini filij regni, illudq; recte querere, ut erant omnes Israelitæ, & nunc sunt omnes Christiani. Cuius contrarium est, quod Paulus dicit Ephes. 2, Alieni à politia Israelis. De talibus, ut ita dicā, potentialibus filijs regni Dei, Matth. 8, Multi uenient ab Oriente & Occidente, & discumbent cum Abrahamā in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. ubi idem uidetur filij regni dici, quod nos nunc dicimus membra ueræ Ecclesiæ. Hæc autem receptio exterorum, & eiectio domesticorum regni, à Paulo, per excisionem ramorum ex uera oīca, & insitionē syluestrium ramusculorum, Rom. 11. depingitur. Eadem locutio paulo aliter accipitur Matth. 13, Bonū semen sunt filij regni: zizania sunt filij illius mali. ibi enim filij regni dicuntur ij, qui actu sunt filij, ueræque pij, quique sunt uera uiuāq; membra Ecclesiæ. Regnum aliquando abusiue significat quamcunque magnam uim aut potentiā. Virga rectitudinis, uirga aut sceptrū regni tui: Psal. 45. id est, tu iustē regnas, aut imperas. Hoc dictum Epistola ad Hebræos ad Christum applicat, ad quem proculdubio etiam totus Psalmus pertinet. Significat igitur, spiritualem gubernationē, qua peccatores saluos facit, rectissimam & laudatissimam esse. Apostoli Actor. 1 dicunt ad Christum, Num in hoc tempore restitues regnum Israel? Intelligent illi quidem regnum Meschiæ, sed somniabant fore terrenum regnum. Putabant enim, Christum instauraturum illud uetus regnum Israelitarū, ita ut sit perinde potēs ac gloriosum, & innumeris gentibus imperitet: sicut olim tempore Dauidis aut Salomonis, uel etiam multo gloriosius ac florentius.

¶ Diximus de aliquot significationibus uocis Regnum, inter quas illæ sunt celebriores, Regnum Dei, regnum cœlorum, regnum Christi, quæ locutiones non raro idem ualent. Aliquando & absolute posita uox Regnum, eandem uim obtinent. Regnari crebrō significat regem agere, aut regno præesse. Verū alia quædam, ac penē catachrestica significatio est, cum denotat aliquem potenter dominari, aliquos regere, aut etiam alioqui præualere, omnia pro suo arbitrio agere, florere, ac uigere. Deus facit regnare hypocritam propter peccata populi, Iob 34. tametsi in Hebræo sit alius sensus. Oīe 8. Ipsi fecerunt regem, & non ex me: instituerunt principes, & nesciui. Hic usitatam significationem, aut ordinariū regnū ista uox obtinet. Pro qua uis autem potenti dominatione aut gubernatione in sequentibus exemplis usurpatur, tum in bonam, tum & in malam partem. Ezech. 20. Viuo ego, dicit Dominus Deus, si non in manu ualida, & brachio extento, & furore effuso regnaturus sum super uos. Id est, uolentes nolentes tenebo uos in potestate mea, durissimē

uos tractans & castigans. Psal. 99. Dominus regnauit, commoueantur populi: id est, fremat & insaniat quantum uolet mundus, tamen Iehoua omnia ager pro suo arbitrio. Sic Psal. 10, Dominus regnabit in seculum, & ultra, peribunt gentes de terra eius. In bonam porro partem hæc eadem significatio reperitur sæpissimē in Psalmis & prophetis: ut Psal. 97. Dominus regnauit, exultet terra: id est, potenter suis opitulabitur. & Psal. 47. Dominus regnabit super gentes. Et Psal. 93: Dominus regnabit, induit decorem, induit Dominus fortitudinem, & accinxit se. Isaiæ 52: Annunciantis bonū, prædicantis salutem, & annunciantis Zion, Regnat Deus tuus. id est, potenter aderit & ager, te liberando, & hostes tuos puniendo. In hac significatione uerbum Regnandi tribuitur etiam hominibus: ut Hieremię 22. Nunquid tu regnabis, quod te immisces cedris? id est, putas ne te hic adeo potentem fore, diuq; floriturum esse, quod tam splendide ædificas? Prouerb. 28, Regnantibus impijs fiunt ruinæ. id est, cum illi potentes sunt, ac agunt omnia pro arbitrio. In Hebræo sunt alia uerba.

¶ Dixi suprā, significare aliquando hoc uerbum in hac catachresi, florere ac uigere: quod idem ferimē cū præcedentibus exemplis ualet. Illustre uerō huius significationis exemplum est 1. Corinth. 4: Iam saturati estis, iam diuites facti estis. Sine nobis regnastis: & utinam regnassetis, ut & nos uobiscum regnaremus. ubi Regnare significat, in summo uigore floreque esse, ac bene habere. Sic & Apoc. 20: Sancti regnabunt mille annis cum Christo, & mox regnabunt in secula seculorum. id est, felicissimē agent, bene beateq; uiuent, aut alioqui hic in terris aliquādiu Ecclesia erit florētior quam alioqui. Ab hisce porro catachresticis significationibus deducuntur metaphoræ, præsertim Rom. 5 & 6: ubi dicitur Regnare peccatum, mors, & gratia. Regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen, etiam super eos qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adam: id est, mors temporaria & æterna cum suis flagellis & calamitatibus oppressit etiam eos qui nō habuerūt actualia delicta, ut sunt parui infantes. Sic mox sequitur, Vnius delicto regnauit mors: id est, occasione primi lapsus mors inuasit tyrānidem super genus humanum. Dicitur & Peccatum regnare, idq; dupliciter: nempe primum, potenter protrudere hominem in omnigena scelerā, tum intus in corde cogitationibus, tum foris manibus ac opere. Rom. 6. Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis ei in concupiscentijs ipsius. ubi in hoc ipso uersu & sequēti exponit Paulus, quid sit regnare peccatū in homine. Et paulo post idem repetit: Nō dominetur peccatum uobis. Ex hoc loco utilis locutio & doctrina peccati regnantis in nostris Ecclesijs sumpta est: quod id uidelicet sit & inhærens quædam malicia, corruptio, aut uetus Adam, pro arbitrio ac libitu hominem ad omnis generis actualia peccata, tanquam fructus suos potenter protrudens, ipso non tantum non repugnante, sed etiam cupidē consentiente. Altero modo dicitur regnare peccatum in morte, in fine 5. capitis: Ut quemadmodum regnauerat peccatum in morte, seu ad mortem, &c. ubi Regnare significat, hominem facere reum æterni exitij. Peccati enim ingens uis ita nos regit, tractat & agit, ut tandem nos in temporarium & æternum exitium præcipitet. de hoc, & etiam de priore peccati regno, dicit Christus: Qui peccat, seruus est peccati. Iohan. 8. Simili prorsus locutione dicitur etiam Gratia regnare ibidem, in fine 5. cap. id est, nos potenter regere, & agitare ac seruare, donec nos perducatur in uitam æternam. Collatio harum duarum locutionum ac rerū, sensum luculenter illustrat. inquit enim Paulus: Ut quemadmodū regnauerat peccatū in mortem, sic & gratia regnet per iusticiam.

iusticiam, ad uitam æternam. id est, sicut nos uis ac regnum peccati potenter ductauit & agitauit, donec tandem nos pertraxit in mortē: sic & gratia ac fauor Dei reconciliatione per Christum parata, nos potenter reget ac fouebit, donec nos per ueram iusticiam deducat in æternam felicitatem ac uitam. Ibidem est: Nos qui abundantem gratiā & donum iusticiæ accepimus, regnabimus in uita per Christum. id est, florebitis, bene habebimus, & potenter agemus, superantes mortem, diabolū, & peccatum. *Domus regni*: id est, regia, 10 usitato & in Generalib⁹ Regulis expresso Hebraismo, Esther 2. sic *sceptrum* aut *uirga regni*, & *corona regni* dicitur. *Regnum* interdum usurpatur pro regnandi ratione. *Gesta* Dauidis cum omni regno eius & fortitudine eius: 1. Par. 29. pro, cum uniuerso eius regimine, seu gubernatione. Sic Psal. 45. & Hebr. 1. *Virga* aut *sceptrum* reſtitutionis uirga regni tui, id est tui regiminis, aut gubernationis. *Facere regnum* super aliquos: credo idem ualere quod, obtinere regnum. 1. Reg. 21. dicit Iezabel ad Achabum, dolentem quod Nabot sibi uolebat uen- 20 dere uineam, & tamen nihil contra eum uolenter ope reque ipso tentantem: Tu ne nunc faceres regnum super Israelē: id est, hac quidem ratione dedendo te mœrori de repulsa, & non ei uolenter uineam extorquendo, desines esse rex, & planè contemneris: ac in ordinem redigeris. Profecisti in regnum: Ezech. 16. id est, idonea facta es regno suscipiendo. *Prolongare dies in regno*, est diu regnare. Deuter. 17. Noui quod regnando regnabis. id est certò regnabis. 1. Sam. 24. Et regnabit rex, & prosperè aget. Hierem. 23. id est prosperè 30 ac feliciter, magnoq; successu regnabit. Ius regis, aut regni descriptum est. 1. Sam. 8. quem locum legat, qui ius regni Israelitici cognoscere uelit: tametsi ibi Samuel magis loquatur de consuetudine aut iure, quod sibi rex suo arbitrio usurpabit, quàm quod ei iusto iure debeat.

REGVLA, instrumentum est fabricorum, quo loca aut materiam metiri solent inter fabricandū. Sed contra Prophetæ dicunt, Deum habere regulam, qua metitur ciuitates aut terras, ad uastandum eas. Thren. 2. 40 Cogitauit Dominus uastare murum filiæ Zion, extendit regulam, non retraxit manum à uastando: quasi diceret, iam sibi Deus delineauit modum ac formam uastationis & pœnarū. Eodem planè sensu & simili phrasī dicit Isaias cap. 34. Extendetq; super eam funiculum inanitatis, & lapidē uacuitatis. Paulus 2. Cor. 10. dicit: At nos glorabimur secundum mēsuram regulæ. id est, prout Deus modum functionis & successus, aut propagationis Euāgelij mihi metitus est. Gal. 6 inquit Apostolus: Pax super eos qui secundum hanc regulam in- 50 cesserint. ubi regula doctrinam significat, ab ipso præscriptam. Monachi id ad suas monasticas regulas traditiuncularum rapiunt, præsertim cum sequatur de stigmatibus S. Francisci. Eadem metaphora & sententia est Philip. 3. Eadem incedamus regula, idem sentiamus. per regulam, normam doctrinæ & piè agendi significat, iubetq; eos concordēs esse.

REIECTAMENTVM, Philip. 3. habet Vulgata uersio, ubi in Græco est *συνβάλα*: quod uolunt sonare quasi *λυοίβαλα*, & significare illa tum uilia tum impura, quæ in mundandis intestinis canibus proijciuntur. Dicit igitur ibi Paulus, se suam operū iusticiam pro damnis & reiectamentis habere, ut modò fide consequatur solum eam iusticiam, quæ in obedientia, merito ac sanguine Christi consistit. Alij uertunt Excrementa: sed etymologia Græca melius cum Reiectamento, & uerbo Reijciendi conuenit. Vnde apparet, quàm & uilis res sit nostra iusticia, & nullo modo iusticię Christi admiscenda. Contra uerò operarij, dum suam bonorum operum & uirtutum iusticiam sectantur, iusticiā Chri- 70

sti ut precariā mendicāq; iusticiā negligūt, reijciuntq;. **RELIGIO**, sicut & Pietas significat tum externum illum cultum Dei ac doctrinam, tum & internam uirtutē qua Deum agnoscimus & colimus, siue rectè siue perperā. Nam hæc uox tum ueræ, tum prauæ religioni tribuitur. Vulgata uersio aliquoties hoc uocabulo aliquem externum ritum religionis nominat. Exod. 12. Hæc est religio Phasæ. Et, Quæ est ista religio? id est, quid sibi uult iste ritus, aut cultus, aut cæremonia comess Phasæ? Et Num. 19: Hæc est religio uictimę, uel legis. ut est in Hebr. id est, hic est ritus aut cæremonia. Aliquando utitur eo, pro iure uel mandato Dei obligate. Exod. 29. Eritq; eis sacerdotium religione perpetua. id est, iure à me constituto. Et Leuit. 7. Hæc dedi sacerdotibus à filijs Israel religione perpetua. id est, iure aut decreto. Sic Leuit. 16. Et affligetis animas uestras religione perpetua: id est, iure aut obligatione cultus à me sancita in perpetuum. Act. 26. totum Iudaicum cultum denotat. inquit enim Paulus: Sciunt, quod secundum exactissimam sectam nostræ religionis uixerim Pharisæus. quia plures sectæ erant in Iudaica religione. Sic & Coll. 2. religio angelorum, pro, cultu ab angelis præscripto, ac hominibus tradito accipitur: qualis nunc totus Papatus est. Hic in posteriore parte religio pro superstitione: sed in priore, pro Dei religione accipitur. Porro Iacobus usurpat hanc uocē pro animi pietate, inquit: Religio pura ac immaculata apud Deū & patrem hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, & immaculatum seipsum seruare à mundo. Ibidē: Si quis uidetur religiosus esse inter uos, qui nō frenat linguam suam, sed cor suum seducit, huius uana est religio. id est, nulla est in eo uera pietas. Sic & Cornelius centurio describitur Act. 10. quod fuerit uir religiosus, ac timens Deum. In Actis nominantur uiri religiosi, & mulieres religiosæ. In priori loco Lucas testatur illos fuisse Iudæos, & quidem ex diuersissimis gentibus eò profectos, ac illic commorantes. Videntur igitur omnino fuisse quasi quidam studiosi Theologiæ, qui cognoscēdæ plenius religionis, & etiam sacrificiorum gratia, eò ex patria ad tempus migrauerāt. At Act. 13 dicuntur Iudæi excitasse contra Paulū mulieres religiosas & honestas, ac primarios uiros. ubi per religiosas mulieres rectissimè intellexeris, eas quæ ex ethnicismo ad Iudaismum cōuersæ, singulari hypocrisis & superstitione præ cæteris religionis studiosæ uideri uolebant: quales etiam Romæ fuisse Satyrici queruntur, quæ per maritos suos sæpe turbas dabant.

RELIQVIÆ, aliàs significat paucos, quasi ex calamitate ac clade superstites: aliàs contra, multos. Aliquando etiam propagationem aut posteritatem amplam. Num. 24. Et perdet reliquias de ciuitate: id est, etiam eos qui uix in ciuitates confugerūt, perdent Israelitæ, ita ut nec in ciuitatibus quidem quisquam supersit hominum. Isaiæ 21. Et reliquæ numeri arcus, fortes filiorum Cedar imminuentur. pro, etiam ij pauci sagittarij, qui supererunt, peribunt. *Reliquiæ alicuius*, Ierem. 15 uidentur significare reliquum uitæ tempus, aut certè euasione ex magno malo. sic enim ibi propheta Deo de se promissionem recitat: Dixit Iehoua, si non reliquæ tuæ in bonum, si nō fecero occurrere tibi in tempore malo hostem. id est, efficiā ut incolumis euadas, utq; uel hostis te seruet, tibiq; benefaciat, ut contigit cap. 40. *Ponere alicui reliquias*, est conseruare eum, & eius posteritatem, Gen. 45. Misit me Deus, ut ponerem uobis reliquias in terra, & ad conseruandū uos in magnam euasione: id est, ut conseruemini in hac terra incolumes à fame, utq; in magnum numerum hic crescat. Omnino est propheta de futuro incremento populi Israelitici in Ægypto. Mich. 4. Ponam claudicantem in reliquias, & fugatam in gentem magnam, & Domi- nus

nos regnabit super eos in seculum. id est efficiam ut ex istis pauculis malè tractatis ouiculis, mihi ingens grex confluet. Reliquiæ igitur, hic pro posteritate & incremento ponuntur. Isaia 37, De Ierusalem egredientur reliquiæ, & euasio de monte Syon. id est, multi euadēt incolumes, & crescēt in magnum numerum, cum iam Assyrius putet se Hierosolymam euerfurum. Intelligit autem Propheta simul incrementum & propagationē Ecclesiæ tempore Christi ex Hierosolyma (unde uenit ipsum semen, nempe lex & uerbum) sequituram. Reliquiæ Iuda, reliquiæ Israel aut Iacob, reliquiæ Hierusalem: id est, pauci reliqui aut superstitēs inde. Locus Micheæ 5, est ualde illustris, de reliquijs Iacob, quod sint totum mundum debellaturæ: pauci enim Israelitæ ad Christum conuersi, totum mundum ei subiugarūt. Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorū, ueluti leo inter animalia syluestria, & ut catulus leonis inter greges ouium: qui cum transferit, discerpserit, & rapuerit, non est qui eripiat. Sic sæpe celebratur propagatio regni Meschiæ in prophetis, per paucos conuersos Israelitas, ut etiam in præcedentibus dictis audiuius. Rom. 11. sic & hoc tempore reliquiæ secundū electionem factæ sunt. id est, aliqui pauci ex mera gratia seruari sunt, pereuntibus plerisque in sua incredulitate. sicut si eos quispiam potentissimus tyrannus perdidisset. Reliquiæ igitur uisitatissimè significāt aliquos paucos ex magna multitudine, aliqua tristi calamitate obrata conseruatos. Sic Isaia cap. 10, & Paulus Rom. 9 dicunt, ex ingenti numero Israelis tantum reliquias, ut paruum semen, conuertendas ad Deum, & conseruandas esse. Isaia 30, Leua orationem pro reliquijs hisce: id est, ora Deum pro paucis hisce adhuc exitio restantibus. Nam reliquam gentem Senacheribus iam perdidit.

RELINQVO uerbum: Relinquam super me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. id est, laxabo frena meo dolori, gemitui & lamentationi: aut patiar eam effundi, & pleno ore fluere. Tibi relinquitur pauper, pupillo tu eris adiutor. id est, destitutus ab omnibus, ad te solum confugit: quia non est alioqui quisquam qui pugnet pro eo, nisi tu Deus. Psal. 79. Veniat ad te gemitus uincti. Secundum magnitudinem brachij tui fac superstitēs filios mortis, aut morti destinatos. id est, serua ac conserua eos. *Relinquere reliquias, aut superstitēs*: Ierem. 44. Et excindatis uobis uirum & mulierem, paruulum & lactentem de medio Iehuda, ut non relinquatis uobis reliquias. id est, ut peccatis uestris efficiatis, ut uos Deus prorsus deleat ac extirpet, nec quisquam omnino uestrum exitium extremum euadat. Isaia 1. Nisi Dominus reliquisset nobis superstitēs paucos, sicut Sodoma fuisset. id est, nisi Dominus effecisset ut pauci pij superessent, accideret planè sicut Sodomæ, ubi prorsus nemo præter Lothū fuit pius. Relinquetur filia Syon, sicut umbraculum in uinea, Isaia 1. id est, deserta prorsus erit, abductis in captiuitatem, interfectis ue hominibus, & desolatis circumquaq; ciuitatibus, sicut tuguriola in uinetis post uindemiā ablatis omnibus botris, nemineq; amplius tuguriolum inuisente aut incolente. Aliquem reliquū facere: pro, superesse ei. Ruth 2. Comedit ad saturitatē, & reliquum fecit. id est, superfuit ei insuper aliquid. Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta: Lucæ 13. pro, erit deserta: id est, uos omnes peribitis, quare uestra domus & ciuitates erunt prorsus desertæ. Relinquitur ergo alicui domus desertam, est, ipsum unā cum suis prorsus interire, ita ut nec posteros ullos aut sibi coniuictos relinquat. Vicinum ergo pro altero ponitur. Solitudo domus interitum hominum denotat. Sic crebrò apud prophetas, solitudo ciuitatum interitum aut captiuitatem hominum indicat. Iohan. 16. Exiui à

patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad patrem. id est, antea meipsum exinaniens assumpsi formam serui, factus homo: nunc per mortem, resurrectionem & glorificationem migrabo denuò ad patrem. Relinquere sine testimonio semetipsum, Actorum 14. Non tamen reliquit se sine testimonio, dum nobis cœlitus benefacit, &c. id est, Deus non est passus nullum prorsus de se testimonium, etiam inter gentes extare. nam tam uarijs beneficijs rerum ad utilitatem hominum annuatim crescentium, abunde eos de seipso admonuit, conuictiq; suæ præsentis & omnipotentis. *Relinquere, aut reliquum facere, est interdum conseruare.* Isaia 1. Rom. 9: Nisi nobis Dominus reliquisset reliquias pusillas, aut semen, sicut Sodoma esse: id est, nisi Dominus nobis adhuc paucos pios, præsertim doctores, conseruasset. Sic & Roman. 11, ac 1. Regum 19. Reliqui mihi 7000 uirorum, qui non incuruauerunt genua Baali. id est, conseruaui mihi. *Relinquit, aliquando superesse significat.* Hebr. 10, Nam si uultro peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis, non amplius pro peccatis relinquetur hostia. id est, nulla alia superest, si Christi sacrificium contemnatur & abijciatur.

REMINISCI. Isaia 62, Qui reminiscimini Iehouæ, ne sileatis. Significat potius, qui in memoriam hominibus Dominum reuocatis, seu eius memoriam celebratis: id est, uos doctores, ne cessetis prædicare uestram doctrinam. In Hebr. est מַזְכִּירִים *Mazchirim.* Alioqui Mazchir inter ministros regis fuit propriè cancellarius, qui singula negocia regi ac consiliarijs in memoriam reuocauit, eaq; expediri ab eis institit.

REMISIO PECCATORVM, suprâ in uoce Peccatum exposita est. significat autem concessionem, aut condonationem illorum spiritualium debitorum. Quomodo uerò peccata sint ac dicantur debita, suprâ in uoce *Debiti ac Peccati* & in libello de Iustificatione dictum est. Monet uerò Christus sæpe, ut remittamus fratri offensam: qui cum nos læsit, ueluti multam quandam & sanationem læsionis nobis debet: eam igitur illi clementer condonari uult Deus, quod etiam in parabola remissorum seruo 10000 talentorum proponit. Deo enim omni tempore perfectissimè obedire debemus: id cum nõ faciamus, remanet illa obligatio debiti apud nos. Est uerò nobis quidem peccatorū abolitio, quædam remissio aut condonatio. Nobis enim illa gratis, ac præter omne nostrum meritum, ex mera Dei misericordia contingit. At Christo non est remissio, sed expiatio aut redemptio, qui largissimè pro omnibus nostris peccatis aut debitis persoluit, aut satisfecit legi ac iusticiæ Dei, obediendo & patiendo: de qua re in Disputatione de Iustificatione prolixius actū dictumq; est. *Manus remissa & dissoluta,* significat nonnquam ignauia quadam languentes, ac præ pigricia ac inertia ueluti dormitantes. Aliquando autem alioqui debiles. Prouerb. 10. Egestatē operatur manus remissa, manus autem sedulorum ditescit. Heb. 12: Quapropter manus remissas & genua soluta erigite, aut cõfirmate. Vide suprâ **MANVS.**

RENASCI, *Regenerari, & Renouari,* uerba magna ex parte synonyma sunt: alie ubi tamen differunt. Utitur autem Scriptura, præsertim Noui testamenti, hisce uerbis ad declarandam perditissimam, corruptissimamq; ac simul infelicitissimam aut tristissimam nostram naturam: ita ut quantacunque sit, & quicquid habeat uel ex utero matris allatum, uel postea sua industria in scientijs, aut etiam uirtutum, nedum uitiorum habitibus acquisitum, sit Deo nimirum aduersum, reum, & ad æternam miseriam destinatum: & porro ad significandum, oportere hominem abiecta prorsus illa priorē natura ac natiuitate, renasci, regenerari, ac renouari, siquidem

siquidem Deo acceptus & saluus esse uelit: quia quicquid ex carne nascatur, aut ab ea sua industria acquiratur, sit tantum caro, sintque omnes homines secundum illam priorem naturam filij iræ ac diaboli, eiusque mancipia, ac ad eius imaginem nati & formati. Hanc prioris naturæ aut creaturæ, totiusque natiuitatis, & omnis industriæ ac sapientiæ carnis damnationem, mortificationem, ac quasi abolitionem, Scriptura summo studio urget: & nouam natiuitatem, creaturam, & hominem ad imaginem Dei formatum, & ad bona opera conditum ac idoneum flagitat ac exigit. In hac igitur re exponenda utitur prædictis tribus uerbis, & alijs, Iohan. 3. Amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest uidere regnum cælorum. Et mox: Nisi quis genitus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum cælorum. 1. Pet. 1. Deus secundum magnam misericordiam regenerauit nos ad spem uitæ. Tit. 3. Deus non ex operibus iustis, quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti. In hoc ultimo loco puto regenerationem proprie significare illam imputatiuam, aut (ut ita dicam) rationalem natiuitatem, qua à Deo, ex regno Satanæ, in suum ac filij sui regnum ita transferimur, ut iam pro iniustis iusti coram Deo habeamur, pro filijs iræ ac Satanæ, & hostibus Dei, eius domestici ac filij gratiæ adoptati, & hæredes æternæ uitæ simus. Quare hunc effectum iustificationis, reconciliationis, adoptionis ac hæreditatis uitæ æternæ tribuit hic Paulus lauacro: id est, baptismo, nempe promissioni ac gratiæ ob meritum Christi nobis à Deo oblata. Per renouationem uero intelligo secundum beneficium Christi, ipsam nempe instaurationem hominis, qua illud uetus lapideum & adamantinum cor, illaque diaboli imago ex pectore nostro excinditur, ac nouum cor ac imago Dei in nobis formatur, & omnino mortificato illo ueteri Adamo nouus homo in nobis condi incipit, ad obedientiam & bona opera idoneus ac promptus. Sed de discrimine ipsarum rerum, nempe regenerationis ac renouationis, postea dicam, nunc plura exempla locutionum & uocum harum ac similiarum, quatenus eis Scriptura promiscue utitur, adiungam. ¶ De hac Regeneratione dicit Iohannes cap. 1: Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis hanc dignitatem, ut filij Dei fierent: nempe ijs qui credunt in nomen eius, qui non ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo geniti sunt. 1. Pet. 1. Renati non ex semine mortali, sed ex immortalis per sermonem Dei uiui, & manentis in æternum. 1. Iohan. 3. Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit. Quoniam semen ipsius in ipso manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est. Sic & Petrus dicit 2. primo, nos diuinæ naturæ consortes esse factos. 2. Corinth. 4: Etiam si externus noster homo corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie. Ephes. 4. Deponite ueterem hominem, qui corrumpitur secundum cupiditates deceptionis: renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum conditus est in iusticia & sanctitate uera. Coloss. 3: Exuentes ueterem hominem cum operibus suis, & induentes nouum illum qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem eius qui condidit ipsum. Hic nouus homo, & noua creatura passim in Sacris literis celebratur: præsertim 2. Corinth. 5. Rom. 7 & 12: Gal. 6. Ephes. 2, 4. Coll. 3, & alibi. Regeneratio, Matth. 19 accipitur pro integra instauratione hominis, & totius naturæ in fine mundi. inquit enim ibi Christus: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis & uos super thronos duodecim, iudicantes XII tribus Israel.

Quod autem Regeneratio, cum de peccatoris regenera-

tionem agitur, latius pateat quam renouatio, patet ex superius citato loco Tit. 3: deinde & ex eo, quod regeneratio necessario complectatur aliquando etiam reconciliationem, iustificationem & adoptionem in filios & hæredes Dei: at renouatio, tantum corrupti hominis instaurationem denotat. Sic & Ephes. 2 Paulus, post saluationem peccatoris ex gratia aut fauore Dei, & dono iusticiæ factam, addit, nos ad bona opera condi, ut in eis ambulemus. Verum quod iustificatio non complectatur renouationem, in proprio Libello, cum Disputatione de Iustificatione impresso, multis testimonijs & argumentis à me probatum est. Discrimen quoque Renouationis & Pœnitentiæ, in illo ipso maiore Libello aut Disputatione, propositione LXXVII, plenè demonstratum declaratumque est.

RENES, sunt nota uiscera dorso interius eregione umbilici annexa, qui tum urinæ repurgandæ, tum etiã genitali semini ac generationi seruire dicuntur: sicut & Scriptura uicinis lumbis generationem tribuit. Verus uersio aliquoties malè usurpat uocem Renum, pro lumbis: ut Exod. 12, & 1. Reg. 8, Nahum 2. Scriptura tribuit renibus cogitationes & affectus: qua ratione aut causa, dicam postea, prolatis exemplis. Dicit igitur Salomon Proverb. 23: Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætabitur etiam cor meum intra me: Exultabunt denique renes mei, cum loquetur labia tua quæ recta sunt. Hic tribuitur renibus sensus affectusque gaudij. At contra alibi tribuitur eisdem sollicitudo & tristitia, ut Psal. 73. Quoniam acerbum est factum cor meum, aut acetosum, & renes mei aculeis puncti sunt. ubi declarat suas sollicitas curas ac dolores, quod impij sunt adeo felices, pij uero afflicti. Sic & Psal. 16 inquit: Etiam noctu erudiunt aut castigant me renes mei: id est, acris cura, zelus ac pia sollicitudo me excitat ad timorem Dei. Sic & Ieremias de hypocritis Capite 12 inquit: Tu Deus propè es ori eorum, sed procul à renibus eorum. Sicut Isaias ait, procul esse Deum à corde impiorum: id est, non curare aut sollicitos esse ipsos de eo ex animo. Ob hanc igitur causam Scriptura, quia renibus intimas cogitationes ac effectus tribuit, ideo crebrò dicit Deum scrutari corda & renes: Psal. 7. 26, 139. Ierem. 17, & 20. Ob eandem causam etiam Psal. 51 dicit, Deum amare & requirere ueritatem in renibus, id est, ut homines intus in corde & intimis suis penetratibus eum ament, timeant, colant, ac in eum cõfidant, suamque extremam indignitatem iniusticiamque agnoscat. Causam porrò, cur isti rationales, ac etiam religiosi motus cordi tribuantur, supra in uoce Cordis declarauimus. Porrò, cur renibus etiam adscribantur, diuinant Theologi: aut quia primi in conceptu infantis in utero fermentur, aut quia in eis uis & cupiditas rei ueneræ aliquo modo cõtineatur ac excitetur, qui tanquam uehementissimus affectus causa fit, ut eisdem renibus & alij adscribantur. Ego opinor fieri id propter magnam quãdam sympathiam cordis: sicut & Galenus testatur aliqua ex corde in renes euehi. Sensu etiam ipso percipimus, quod in magno mœrore in ea parte circa lumbos sentiamus dolores, ac ueluti compunctiones quasdam, sicut & supra citauimus ex Psal. 73. Vnde etiam opinor fieri, ut interdum compunctio pro mœrore, contritione ac pœnitentia ponatur. Sic & Ieremias indicat, in magno mœrore ac terrore dolere renes & lumbos. inquit enim cap. 30. Quare omnis uir habet manus suas super lumbos, quasi parturiens? id est, unde ille tam tristis dolor uiris accidit? Grana tritici, per metaphoram ob similitudinem quandam dicuntur renes. Deut. 32: Cum adipe renum tritici. pro, cum farina optima granorum triticeorum. forma enim renes cum granis conueniunt, quod in uno latere ueluti cavitatem quandam habent.

RENUNCIANDI uerbo utitur Vulgata tum pro ualedictione: Luc. 9, Sequar te Domine, sed per mitte mihi ut renunciem prius iis qui sunt domi meæ. id est, ut ualedicam. tum pro extrema neglectione aut deser tione, Luc. 14, Omnis qui non renunciat omnibus suis rebus, nō potest esse meus discipulus. id est, qui sua bona cōmoda ac uitam ipsam in causa nō est paratus, pr sus negligere, deserere, & uelut abiicere, re ac casu ali quo id gloriæ Dei gratia flagitante, non est idoneus, ut sit meus discipulus. Sic & Latini suū ualedicere aliquā do in longē uehementiore significatione, & ueluti pro quadam abiectione usurpant: Valeāt qui inter nos dis sidium quærent. id est, abeant in malam rem, paratus sum eorum beneuolentia perpetuō carere.

REPELLO, sæpe ita usurpatur in Sacris literis à Vulgata uersione, pro uarij Hebræis ac Græcis, ut iure inter Hebraismos recenseri queat. Significat autem ne gligo, desero, amoueo à me. Dicuntur uerō & homines repellere Deum, ac eius mandata: pro negligere, aut abiicere. Num. 11, Repulistis Dominum. Psal. 18, Iustifi cationes eius non repuli à me. id est, nō contempsi, ne glexi, repudiaui. Osee 4, Quia repulisti scientiam, re pellā & ego te, ne fungaris mihi sacerdotio. Sic & Paulus 1. Tim. 1. Quidam repellentes bonam cōscientiā, cir ca fidē naufragium fecerunt. Auxesis est, uehementius uerbum pro minori significatione aut re usurpatur. Vi cissim etiam Deus dicitur repellere homines. Psal. 43, Quare repulisti me? quare tristis incedo? Psal. 44, Nunc repulisti nos, & confudisti? Psal. 60, Deus repulisti nos, dissipasti nos. Psal. 74, Quare Deus repulisti usq; in fi nem? fumat ira tua contra oues pascuæ tuæ. Psal. 78, Re pulit tabernaculum Sylo, tentorium quod collocauit inter homines. Psal. 94, Non repellet Dominus popu lum suum, neq; deseret hæreditatem suam. Sic & Psal. 119, Ne repellas me à mandatis tuis, ne patiaris me ab eis aberrare. Deniq; & Rom. 11 negat Paulus, Deum re pulisse populum suum, quem elegerit. id est, repudias se, abiicisse, &c. Rursus de hominum repulsione man dati Dei, inquit Stephanus Act. 7. Cui noluerunt obe dire patres nostri, sed repulerunt, & auer si sunt corde suo in Ægyptum. Sic & Act. 13 dicuntur Iudæi repelle re Euangelion Christi.

REPLERI Spiritu sancto, Lucæ primo. Repleri ira, ze lo, Lucæ 4. timore, Luc. 5. insipientia aut amentia, Luc. 6. iucunditate, Actor. 2. gaudio, Act. 13. iniquitate, Rom. 1. omni gaudio & pace, omniq; scientia, Rom. 15. con solatione, 2. Corinth. 7. Repleri fructu iusticiæ, Philip. 1. perspicuæ locutiones sunt. Et in arte lapidis ad replen dum, Exod. 31 id est, ad includendos auro preciosos la pides. Qui uolet eas tangere, replebitur ferro & ligno hastæ: 2. Sam. 23. id est, armabitur aliquo instrumento ferreo, aut furcula, qui uolet spinas contrectare. id est, nō molliter manu, sed ferrea furca spinas tractabit. Sic & Deus impios, me autem meosq; molli manu cōtre ctabit. Iudicio impij repleuisti iusticiam & iudiciū. Iob 26. id est, secutus es iudicium impiorum, ut diceres iusticiam Dei esse iniusticiam.

REPONERE in cor uerba, est diligenter aliqua di cta expendere, obseruare memoria, ac retinere. Sic di citur Iacob conseruasse narrationem somnij Iosephi, Genes. 37. Et Dauid, reposuisse in cor uerba Achis & au licorum dicentium, Non ne hic est ille Dauid, cui ceci nerunt, Percussit Saul mille, & Dauid 10000? Et Lu cæ secundo bis repetitur, Maria autem conseruaba om nia uerba hæc, conferens ea in corde suo. Sic ille in Bucolicis ait:

Sensibus hæc imis res est non parua, reponas. Et,

Manet alta mente repositum

ubi de memoria potius dicitur. Et uulgò Germani di cunt, Las dier die vuort zu hertzen geben, aliqua uerba alicui

ad cor eunt. *Repositum* alioqui alicui aliquid esse, signi ficat domi diligenter ei seruari, ut suo tempore ei exhi beatur. Luc. 19, Ecce mina tua quam habui repositam in sudario. Col. 1, Propter spem repositam uobis in cœ lis, quam audistis prius per sermonem ueritatis Euan gelij, 2. Tim. 4, Quod reliquū est, reposita est mihi coro na gloriæ. id est, asseruatur mihi, parata in suum tēpus. 2. Pet. 3, Cœli & terra repositi eiusdē sermone custodiū tur igni in die damnationis & exitij impiorum. Ponitur præcedens pro consequente. per repositionē enim fit conseruatio: & porrò, aliquid alicui paratum ac in promptu esse significat.

REPORTARE, pro consequi ponitur. *Reportare* promissionem, Hebr. 10. *Reportare finem fidei* salutem ani marum, 1. Pet. 1. est, consequi ea bona: sicut si quis ali quò iret allaturus quæ sibi usui essent. ita pingitur per metaphoram curriculum uitæ humanæ. Ponitur ergo sequens pro præcedente. prius enim est acquirere, po stea secum asportare.

REPROBARI, pro reijci ac damnari tanquā mā lum, usitatum est etiam Latinæ linguæ. In Nouo autē testamento crebrò reperitur. *Reprobus homo*, mens, sen sus, est idem quod non probus. 1. Cor. 9. Ne aliis præ di cans ipse reprobus efficiar. id est non uerè pius. In hac significatione aliquoties hoc uocabulum reperitur, 2. Cor. 13. Porrò 2. Tim. 3 dicuntur aliqui reprobi circa fidem. Homines, inquit, mente corrupti, & reprobi cir ca fidem. id est, non rectè de fide Christiana sentientes, aut Deo non fidentes. Tit. 1 Ad omne bonum opus re probi: id est, non idonei. Rom. 1, Tradidit eos Deus in mentem reprobam. id est, perperam etiam de externa honestate uitæque iudicantem. Dicitur & terra repro ba, Hebr. 6. Terra quæ profert spinas & tribulos, re proba est: id est praua & peruersa. Aliqui reprobū ex ponunt pro profus reiecto aut simpliciter citraque om nium exceptionem ad æternum exitiū destinato: quī uocis huius, ac locorum in quibus reperitur, sensus nō est. Videtur autem tum probum, tum & reprobum, ue nire à probatione aut exploratione monetq; quòd alia ut sincera in probatione approbatur, alia ut adulterina repro batur.

REPROMISSIO, & **REPROMITTO**, in Sa cris literis idem est quod simplex *Promitto*, aut *Promissio*, nisi quis uelit nostras & Dei promissiones conferre. ut sicut nos ei promittimus, quod ipsum solum pro uero Deo habere, & ab eo solo pendere uelimus: ita ipse ui cissim nobis promittat aut repromittat, quòd uelit nos ter Deus ac propitius pater esse, nosque tueri, regere, seruare ac beare. Iurisprudentes dicunt, repromissionē esse iteratam promissionem: sic sanè Deus inculcat no bis suas promissiones, ut eas terq; quaterq; inculcet ac iteret. Vulgata in nouo Testamento plerunque *αναγγε λισαν* uertit repromissionem, quam aliq; uersiones dicunt *Promissionem*, de qua re aliquid supra in *Promissio* dixi. Beza etiam gratuitam promissionem.

REPTILIS nomine significatur omnia serpentina humi, quæ non tam pedibus incedunt, quàm humi re punt. Dicitur hæc uox etiam de piscibus. Gen. 1, Produ cant aque reptile animæ uiuentis.

REPUDIUM, fuit dimissio uxoris, seu dissolutio matrimonij, Ethnici usitata & Iudæis: idq; fermè pro hibitu, ac citra grauissimam causam, Deut. 24. Eam ni miam licentiam dissoluendi coniugij, Christus Matth. 5 & 19 reprehendit, ac restringit ad solam causam aut casum adulterij. Modestinus Iurisconsultus id discrimen esse dicit inter *Diuortium* & *Repudium*, quòd diuor tium fiebat inter iam coniuges, sed repudium inter spō sum & sponsam. Verum constat, non tantum in Sacris, sed & in prophanis literis uocari repudium, etiā coniu gum separationem. Cum uerò fiebat repudium, daba tur

tur mulieri libellus repudij, qui uocabatur ab Hebræis Sepher Cherithuth, libellus excisionis aut succisionis: eo quod præscindebat uincula ac obligationes coniugij. Qualis ea forma fuerit apud Iudæos, ignotum est. Monsterus de præsentibus Iudæorum repudio ita scribit: Porro שרידה proprie est repudium & eiection mulieris: libellum uero repudij magistri Hebræorum uocat שרידה, qui ueluti testis est repudij, in quo maritus resignat omne ius quod habuit in uxorem. Utuntur autem Hebræi multis & uariis ceremoniis, cum hunc parant libellum. Sed quoniam nihil in eis nisi meras superstitiones inuenio, nolo hic lectoris animum illis grauare. Utuntur autem in libellis huiusmodi forma: In quarta Sabbathi, in uigesimo mensis Siuan, anno quinquies millesimo ducentesimo nonagesimo tertio à creatione mundi, hinc, & in hac ciuitate, Ego Iacob sic cognominatus, filius Rabbi Izhac, uolui ex animo, atque citra ullam coactionem dimisi & eieci hanc, quæ hæcenus fuit uxor mea, filia illius Rabbi: & concedo ei potestatem & licentiam, ut pro libitu suo uadat quod uoluerit, duci que possit ab omni uiro, nec eam quisquã prohibere præsumat. In cuius rei testimonium dedi ei librum repudij, & schedam dimissionis, atque signaculum diuortij, iuxta constitutionem Moysi & Israel. Romanorum porro forma libelli repudij hæc fuit: Res tuas curato, res tuas tibi habeto. Vide tractatum de Diuortijs. Porro olim repudium tum gentilium, tum & Iudæorum, fuit integra dissolutio, ut uterque esset liber, haberetque plenum ius contrahendi nouum coniugium: quod & iam in nostris Ecclesiis in legitimo diuortio innocenti personæ conceditur. Pontifex Romanus in suo regno habuit quoddam semidiuortium, ut id Erasmus uocat, ita ut coniuges solummodo à societate mensæ ac lecti separarentur, noui uero coniugij nec nocēs nec innocens persona ius haberet. Cōtra quæ abusum, aut potius noxium errorem, scripserunt nō tantum nostri doctores, sed etiam Erasmus, Caietanus in suis Commentarijs super Paulum: & denique Catharinus admodum prolixè, cuius liber est excusus Romæ anno Domini 1552. Porro sicut cōiunctio Ecclesiæ cum Deo ac filio eius cōparatur coniugio, tum in Veteri, tum & in Nouo testamento: sic & separatio eorundem, repudio aut diuortio. Transferuntur igitur per metaphoram ad utrumque coniugalia uerba. Isa. 50 inquit Deus ad Iudæos: Quis est iste libellus repudij, quem dedi matri uestræ, quod eam dimiserim? aut cui ex creditoribus meis uendidi uos? Ecce propter iniquitates uestras uenditi estis, & propter scelera uestra abiecta est mater uestra. Quasi dicat: Non sponte dedi synagogæ repudiū, sed coactus eius peccatis. Idem, eisdemque locutionibus ac uocibus repudij metaphoricè differitur, de abiectiōe & reuocatione Israelis.

REPUTARE uerbum, perperam ponitur pro imputare, à Vulgata uersione, Romanorum 2, 4. Numer. 18. Genesis decimo quinto. Deuteronom. 21. 23. 24. Psalmo 106. Isaia 29. 32. 2. Corinthiorum 5. Galat. 3. Iacob 2. *Reputare* Latinis est, aliquam rem considerare, expendere, cogitare. At in Sacris literis aliquando accipitur pro magnificere: quasi dicas, considerare cū admiratione. Psalmo 144. Quid est homo, aut filius hominis, quod reputas eum? id est, quod adeo es de eo sollicitus? Isaia quinquagesimo tertio: Non erat ei decus, quare nec reputauimus eum. Danielis undecimo, Deum patrum suorum non reputabit. Unde Italici reputatio alicuius, eius existimationem ac dignitatē denotat. *Reputari* aliquando ponitur pro censi, haberi, aut uideri. Prouerbiorum decimo septimo: Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. id est, à multis ignorantibus eum pro sapiente numerabitur, aut habebitur. Vide *Imputo* supra.

REQUIES, non raro idem ualet quod pax, atque adeo tranquilla felicitas. Matthæi 11. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quod mitis sim corde, & inuenietis requiem animabus uestris. id est, ueram pacem ac felicitatē. Psal. 95. Quibus iuravi in ira mea, quod non introibunt in requiem meam. id est, in eam requiem ac felicitatem, quam ego dabo meis. Psalmo 116, Reuertere anima mea in requiem tuā. id est, in felicitatem ac tranquillitatem conscientie: in epe ad Deū ipsum, ut ipsemet Psaltes sese explicat. Prouerbiorum 1. Requies imperitorū interficiet eos, & felicitas stultorum perdet eos. id est, res secundæ ac prosperæ sunt exitio imperitis & stultis, &c. Vicina huic significatio est, quod pro habitatione aut mansione ponitur. Vnusquisque enim in sua domo requiem habere solet. Psalmo 132, Surge Domine in requie tua. Et mox: Eligit Dominus Sion, expetiuit ut esset habitaculum eius. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam concupiui eam. Sic de loco quietæ ac sibi gratæ mansionis accipere possis illud Christi, quod satan semel expulsus ex aliquo peccatore tanquam ex suo gratissimo domicilio, oberret, quærens quietem: id est, commodam dulcemque sibi habitationem. quam cum reperire nequeat, reuertatur in suum prius domicilium, relabente illo homine in sua pristina peccata. *Requies opulente*, Isaia 32, Habitabit populus meus in requiebus opulentiæ. id est, habebit pacem ac diuitias, seu rerum necessariorū abundantiam. *Requiem dare à labore*, Isaia 14, Et erit in die illa, qua tibi Dominus requiem dederit à labore, aut dolore ac tremore tuo, & à seruitute dura, quam seruiisti. Et sumes parabolam hanc, &c. Sic sæpe in Veteri testamento accipitur hæc uox de liberatione, & tranquilla felicitate. *Requies mensæ*, est recreatio illa quæ contingit ex uictu post diurnam defatigationem. Iob 36, Requies mensæ tuæ plena esset pinguedine. id est, ut lautè pascereris. Non habui requiem spiritui meo: 2. Corinth. 2. id est, non fui animo tranquillo & quieto, quandoquidem nō reperi Titum fratrem meum mihi gratissimum, & cum primis necessarium. *Non habere requiem*, Apocalyp. 14, significat simpliciter non cessare aut desinere: non significat carere felicitate. inquit enim: Quatuor illa animalia non habebant requiem die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sed ibidem postea 14 capite, significat perpetuò torqueri. *Requies* significat etiam constitutionem familiæ, aut rei familiaris: ut Ruth primo: Det Iehoua ut inueniatis requiem unaquæque in domo uiri sui. id est: Det Iehoua, ut consequamini uiros, liberos & rem famil. amplam. ac in ea tranquillam ac commodam uitam: nec semper ita uiduæ, orbæ & pauperes ob erretis, ut nunc. *Aqua requietum*, sunt aquæ frigidæ, suoque frigore animalibus in æstate sitientibus, arenis tibus & inflammatis, quietem parientes, eam ue recreantes. Psalmo uigesimo tertio: Ad aquas requietum deduxit me. Deus dicitur requieuisse die septimo, Genesis secundo, & Exod. uigesimo: quod humano quodam modo dictum est. Significat autem, eum desisse à fabricandis nouis creaturis. alioqui in regendis, propagandis ac conseruandis illis iam fabricatis, operatur usque modo: teste Christo, qui unā cum eo operatur. *Requiescere in monte Domini*, Psal. 15, est, uera quiete ac pace conscientie, aliisque Dei bonis frui, hic in Ecclesia, & postea in uita æterna. Caro mea requiescet in spe: Psalmo decimo sexto, & Actorum 2. id est, tranquilla erit in sepulchro, expectans mox sequaturam resurrectionē. Qui euit Syria super Ephraim: Isaia 7. id est, conspirauit cū eo, quia socij & confederati in se inuicem acquiescunt, sperantes inde eximium auxilium ac cōmodum. Moab quieuit in fecibus suis, Ier. 48. id est, perpetuò in suis sedibus & opibus tranquillè egit. *Requiescere spiritum super aliquos*,

aliquos, *suprà in uoce spiritus explicatum est.* 1. Samu. 10. *Requiescere indignationem Dei, est finem habere: ut suprà ostensum est, Quiescere aliquando significare desinere, aut omnino finem habere.* Ezek. 5 & 16. Ego quoq; faciam quiescere in te furorem meum, & recedet zelus meus à te, quietusq; ero, & non indignabor amplius. id est, acerbissimis suppliciis te afficiendo ita animū meū explebo, ut irasci desinat. Sic 23 cap. Faciam quiescere scelus tuum. id est, cogam te ab eo desistere. Non requiescet uirga impietatis super sortem iustorum: Psal. 125. id est, non diu aut perpetuò dominantur impij super pios, ne eos pij in sua impietate imitentur. Requiescet super illum pax uestra, Lucæ decimo: id est, contingeret ei pax à uobis illi petita, per salutationem uestram. Requiescere faciet benedictionem in domo tua: pro, benedicetur domus tua à Domino, contingeret illi benedictio. *Requiem facere, aut dare alicui, est, eum liberare à difficultatibus & calamitatibus, quibus premebatur, eūq; in tuto ac quiete collocare.* Esther 2, Atq; requiem prouinciis fecit, deditq; dona secundum potentiam regiā. id est, prouinciarum tributa & alia duriora ac grauiora onera inminuit. Requiescemus super eū, quemadmodum cedit ros super terram: 2. Sam. 17. id est, ita omnia ac subito nostra ingenti multitudine circa castra Dauid occupabimus, ac si ros aut pluuia super eū ac omnia uicina loca cecidisset.

REQUIRO, *suprà in QVAERO* expositum est. Vide ibi.

RES, est plerunq; in Hebr. דָּבָר Dabar uerbum, quod infra exponetur. hic uoculae Res aliquot significationes ac locutiones breuiter recitabimus. *Res diei* mensis, aut anni, significat praescriptum aut dimensum illius temporis. Exod. 5, Perficite opera uestra, diem in die suo. id est, singulis diebus suum pensum, suum constitutum aut deputatum. Exod. 16, Pluam uobis panem de caelo. Exhibit igitur populus, ut colligat rem diei in die suo. id est, necessarium dimensum uictus diurni. Sic & de sacrificiis dicitur Leuit. 23, Ut offeratis rem diei in die suo. id est, singulis diebus sua praescripta sacrificia. Idem dicitur & 2. Paral. 8. Sic & de annuis redditibus Salomonis, 1. Reg. 10. & 2. Par. 9, Singuli deferebant munus suum, uasa aurea, &c. rem anni in anno suo. pro, singulis annis suum praescriptum tributum. *Res, pro responso aut sententia:* Deut. 1, Explorent terram, & referant nobis rem. id est, id quod compererint explorando. Rem nullam transire super aliquem: Deuter. 24. Eo anno, quo qui uxorem duxerit, non proficietur in militiam, nec transibit super eū res ulla. id est, nullo omnino politico onere grauabitur. Hoc genus demoniorū in nulla re potest exire, nisi oratione & ieiunio, pro, nulla re aut ratione expelli potest: Mar. 9. *Super re דָּבָר על דָּבָר al debar, in re bidebar:* utrumque Propter significat, & in Scriptura ualde usitatum est. Sed Vulgata plerunq; uertit Propter. Genes. 20, Fortè non est timor Dei in isto loco, & interficiet me super re uxoris meae. id est, propter. Nume. 31, Ipsi tradiderunt filios Israel in praearicationem contra Dominum in re Peor. id est, propter. *Res tributi, id est causa.* 1. Reg. 9. Hæc est res tributi, quod ascendere fecit Salomon: id est, hæc est causa propter quam Salomon imposuit tributū, nempe illæ tot structurae sumptuosissimæ, quæ ibi recensentur: nisi quis Summam uertere malit. Deuteronom. 19. Hæc est res homicidæ, qui fugiet illuc. id est, hic est casus aut causa, propter quam fugiet illuc homicida. *Turpitudine rei:* id est, turpitudine aliqua. Deuteronom. uigesimo tertio iubetur excernens obruere terra stercus, & additur ratio: Quia Deus obambulat circa castra tua, ne uideat turpitudinē rei. id est, ullam spurcitiem aut foeditatem. Quod huius locutionis exemplū obseruandum est, quia mox sequenti Capite usurpatur de causa diuortij.

Si (inquit) uxor non inuenerit gratiā apud uirū, quia reperit in ea turpitudinē rei: id est, aliquid turpe, aut reprehensibile. Sunt alioqui innumera loca in Vulgata uersione, ubi hac uocula utitur, sed quæ ex eius Latina significatione nō difficulter intelligi queant. Aliqua etiā exēpla in uoce VERBUM exponētur suo loco.

RESERVARE. Fortitudinem eius tibi reseruabo, Psalmo 59. Vel potius, apud te obseruabo. id est, cū ad te confugero, in loco tuto obseruabo robur hostium. uel etiam tibi reseruabo, scilicet puniendam, superandam, ac frangendam. Nahum 1, Reseruans iram Iehoua inimicis suis: id est, qui tandem eos punit, etiam si diu quieuit, ac dissimulauit & tacuit, ueluti si iniuriæ ac peccatorum oblitus esset: tamen tandem recordatur & punit, perinde ac si in libro suo memoriali diligenter adscripsisset, sibi que ueluti adseruasset. Sic & 2. Pet. 2 ac 3, aliquoties aliquem ad pœnas aut ad diem iudicij referuari, item aliquem igni reseruari, & contra alicui caliginem tenebrarum reseruari dicitur: id est, fore ut tandē sic puniatur.

RESIPISCERE, & RESIPISCENTIA, putat aliqui & Latinius esse, & magis conuenire ei rei quam *Pœnitentiam* aut *Conuersionem* uocamus, quā *Pœnitere* & *pœnitentia:* eo quod complectatur non tantum dolorem de præteritis malefactis, sed & mutationem mentis, ac studium rectè agendi. Ego uerò cenfeo uocem *Pœnitentia* retinendam esse, non solum quia multum est usitata in Vulgata uersione & Ecclesia: sed etiam ob hoc ipsum, quia non perinde nouam obedientiam complectitur, quam Scriptura non in essentia, sed in fructibus aut effectibus pœnitentiæ ponit. Video enim id Spiritum sanctum agere, ut omnem nostram bonitatem ac pietatem, omnemque nostram gloriationem (ut Paulus loquitur) ex iustificatione ac salute excludat, tantumque peccatorem, & quidem ad inferos deductum, ibique in doloribus inferni iacentem seruet. Nam Christus uenit, ut peccatores saluos faciat, sanetque: non eos qui iam sua sponte resipuerunt, & ad sanitatem mentis redierunt, quique medico Christo non indigent. Sed de his plura uide supra, in uoce PŌENITENTIA.

RESPICERE, non tantum in Sacris, sed & in profanis significat fauere alicui, misereri ipsius, eique opitulari, propterea quod cui bene cupimus, cuiusue miseremur, eū crebrò etiam oculis respicimus: sicut Germani dicunt, *Ich wuolt dich nicht ansehen.* Quinetiam diuinum fauorem aut misericordiā etiam Ethnici hoc uerbo significant. ut Terentius in Andria inquit: Carine, me & te, nisi quid dii respiciant, imprudens perdidit. Et in Phorm. Diu nos respiciunt, gnatam inueni nuptam cum tuo filio. Porro in Sacris multo etiam frequentior usus est huius significationis. Est uerò duplicata figura, nempe tum anthropopathia, quod Deo aspectus tribuitur: tum etiam metalepsis, aut metonymia, quod externus oculorum motus internam animi affectionē, effectu pro causa posito, significat: tametsi etiam externam opitulationem, quæ interni affectus & externi oculorum motus consequens est, complectatur, ut hic tertius quoq; tropus accedat. Exempla sunt passim innumera. Quoniam respexit ad humilitatem ancillæ suæ: uel potius ad afflictionem, aut tristem statū ancillæ suæ. Aliqui putant esse Hebraismum, & uertendum esse, *Respexit ad humilem ancillam suam.* Eadem locutio plenius habetur. 1. Samuelis primo, quò etiam D. Virgo respexisse in suo Cantico uidetur: O Iehoua exercituum, si respiciendo respexeris afflictionem ancillæ tuæ, & recordatus mei fueris, & non oblitisceris ancillæ tuæ, & dederis ancillæ tuæ filium. ubi *Respicere, recordari, & non obliuisci afflictionis Annæ, est moueri eius calamitate, misereri, opemq; ei ferre. fecundando eam.*

eam. Deuteronom. uigesimosexto. Respexit humilitatem nostram. id est, afflictionem nostram. Sic & Ieremiam quadragesimoseptimo: Propter sonitum incessus unguarum equorum, &c. non respexerunt parentes ad liberos ob debilitatem manuum. id est, non sunt miseri eorum calamitatis, fugiendi studio, & ob propria imbecillitatem. Huius significationis uariæ sunt in Scriptura phrasæ: ut, *Respicere de cælo*, Psalmo 80. *Respicere & misereri*. Respicere oculis, Secundum multitudinē miserationum respicere: Psalmo 69. Respicere in testamentum suum: Psalmo 74. item respicere in faciē Christi, Psalmo 84. Respexit in orationem afflictorum: Psalmo 102. Sic & Psalmo 113, & 138, Dominus in altis habitat, & humilia respicit. Threnorum 5. Intuere, & respice opprobrium. Aliquando significat simpliciter probare & amare: ut cum Deus dicitur respexisse Abelem, & eius uictimam. Cainum autem non respexisse. Indiciū autem illius respectus aut approbationis, fuit proculdubio ignis cœlitus demissus ad absumendam uictimam. Numer. decimosexto: Sacrificia eorum ne respicias. id est, non probes. Sic & Malach 2 dicit Deus: Non ultrā respiciam ad sacrificium, nec accipiam placentiam de manu uestra. Isaiæ sexagesimosexto: Ad quem respiciam? ad eum qui est pauper, & contritus spiritu: hic tum amorem, tum & misericordiam Dei intelligere commodè queas. Leuit. uigesimosexto: Respiciam uos, & crescere faciam. id est, amabo, fouebo. Significat hoc uerbum etiam sperare, ut in uoce OCVLV S diximus. unde enim speramus aut expectamus aliquid boni, eò crebrò respicimus. Isaiæ trigessimoprimo: Væ qui confidunt in humanis præsiidiis, & non respexerunt ad sanctum Israelis, neque Iehouam quesierunt. id est qui non sperauerunt, & petierunt opem à Domino. Hof. 3, Filij Israel respiciunt ad deos alienos id est, eos sectantur, colunt, & in eos sperant. Eadem locutio cultum uerum ac falsum significat etiam Isaiæ 17, In die illa respiciet homo ad factorem suum, & ad S. Israelis spectabunt: & non respiciet ad altaria, & ea que fecerunt digiti eius. id est, ad iola. Nonnunquam significat admirari, & imitari aliquos. Psalmo quadragesimo. Beatus uir qui posuit Deum fiduciam suam, & nō respexit ad superbos & declinantes ad mendacium. id est, non est imitatus illos in querenda ope idolorū aut potentum. *Respicere* est etiam aliquò abire, aut alicui negocio rei que sese penitus dedere. Isaiæ decimotertio. Vnusquisque ad populum suum respiciet: unusquisque ad terram suam fugient. id est, ex Babylone abibunt. Sic Isaiæ quinquagesimosexto: Vniuersi in uia suam respiciunt, quisque ad lucrum suum. id est, singuli sacerdotes ac doctores, neglecto suo ministerio, sua agunt, & sua commoda captant. Gen. 19, Angeli educentes Lotum cum suis à Sodoma, iubent eum fugere in montem, & prohibent ne retrò respiciat. Quod cum uxor eius non obseruasset, conuersa est in statuam salis. Quo mandato & facto adumbratum uidetur esse illud quod Christus Lucæ 9 dicit: eos qui manu ad aratrum admota, retrò respiciunt, non esse idoneos ad regnum cœlorum. id est, Christianos perinde intentos, atque adeò totos esse debere in suo Christianismo ac regno Christi promouendo: ac arantes coguntur perpetuò respicere in boues trahentes, & in ipsum quoque aratrum, ne à recta linea & proposito sulco usquā aberrarent. Qui uerò id non faciunt, illi tandem obstupefcunt, & sensum ueræ pietatis prorsus amittunt, unā cū ipso Spiritu S. eos uiuificante. *Respicere personam*, aut *faciem*, supra in *Persona & Facie* est expositum. *Respicere*, significat aliquid considerare, & considerati conditione aut naturā moueri. Isaiæ 5. Væ iis qui indulgent uoluptatibus, & opus Domini non respiciunt, nec opus manuum eius considerant. Sic iubet nos Christus

respicere aues cœli, quæ neque serant, neque metant, & tamen Deus illas alat. id est, considerare nos eas uult, ut inde prouidentiam Dei discamus. Sic & illud accipi potest, quod Psalmo uigesimoquinto inquit: Respice inimicos meos, quia multiplicati sunt. id est, considera & mouere eorum multitudine ac ferocia, meo que periculo. *Respicere*, aliquando idem est quod conari, moliri, agere aliquid. Lucæ 1, In diebus, quib. respexit Deus ut auferret opprobrium meū inter homines. id est, egit, & peregit ut auferret. Act. 22 dicit Ananias: Saule frater, respice. id est, iterum aspice, iterum utitor uisu: aut recipe uisum, quem amiseras. *Respicere* sæpe admodum, in locorum & ædificiorum descriptionibus significat aliquò uersum esse. Sic Ezech. 40, portæ templi describuntur, quòd aliquæ ad Orientem aut Meridiem respiciant. Respiciente mane reuersum est mare, Exo. 14. id est, summo mane, cum sol radiis suis inciperet respicere mundum.

RESPONDERE, primū habet hunc usitatissimum Hebraismū, ut significet Incipere loqui: idque tum in Veteri, tum & in Nouo testamento. Exempla sunt passim obuia. Excusant aut, aut explicant aliqui ita hūc Hebraismū, quòd licet non alterius sermoni sermo aut responsio reddatur: at redditur uel rei ipsi, aut alicui necessitati sermonem postulanti: uel etiam cogitationibus auditorum, cupientibus scire aliquid, aut aliqui institutionem desiderantibus. Huc & illud accedat, quòd loquuntur miro studio captant prius alterius sermonem: eoque eū plerumque prius interrogant, ut dicendi occasionem habeant. De quo in Generalibus. Significat & id quod Latini dicunt *Correspondere* aut etiam *respondere*. Genesis trigesimo: Cras respondebit mihi iusticia mea. id est, contiget mihi, Deo ita operante, præmium dignū meo fideli labore, quo hactenus tibi gratis sum famulatus. Vicinū huic est quod Latini dicunt, non respondent ultima primis, Non respondent fructus labori. Non respondet tellus uotis auari agricolæ. Aliquando significat testari, aut testimonium præbere: quòd aliqui prædictum locum Gene. trahunt. Isaiæ tertio: Agnitio uultus eorum respondet illis. pro, ex uultu eorum facile deprehenditur malicia eorum. id est, ipse uultus testatur latentem animi maliciam. Deuter. trigessimoprimo: Tunc respondebit canticum istud in cōspectu eius in testem. id est, testabitur illos deliquisse, & de fecisse, eo que optimo iure puniri. Deuteronom. decimonono: Si surrexerit testis iniquus, ut respondeat contra hominem præuaricationem. 2. Samuel. primo: Os tuum respondet contra te. Osee quinto: Respondebit arrogantia Israelis in facie eius. *Respondere sapientiam & prudentiam*. Dan. 2, est sapienter & prudenter loqui. *Respondere pacem*, Deuteronom. 10, est pacificè & amicè correspondere, ut quæ se dedere & conditiones pacis recipere uelit. *Respondere uerbum*, est responsum dare: 1. Regum duodecimo. Aliquando significat exaudire: Psalmo 3, Voce mea ad Dominū clamaui, & respondit mihi de monte sanctitatis sue. id est, exaudiuit. Isaiæ quinquagesimooctauo. Tunc clamabit & ipse respondebit. Respondet autem Deus in exaudiendo tripliciter. Primū, ipsa exauditione. id enim omnis orans maximè agit, ut exoret. Secundò, testificatione sui Spiritus affirmantis cordi nostro, nos esse exauditos. Tertio, dato ipso petito beneficio, que (ut ita dicam) uel realissima responsio est. *Respondere* Deus dicitur prophetæ, aut alij consulenti eum, cum illi ad quæ sita dat responsum Job cap. 14 inquit, de extremo iudicio ac resurrectione. Tunc uocabis me, & ego respondebo. id est, exaudiam uocem tuam in sepulchro, & prodibo. compareboque ueluti citatus. Respondent peccata contra nos: id est, testantur aut accusant nos. Isaiæ 59. Sicut & contra iusticia, Gen. 30. de quo loco diximus. Aliquando signi

significat canere, quia canentes aliquando alternatim canunt, & sibi ueluti respondent: quia amat alterna Canticana. Ideo dicunt serui Achis, 1. Samuelis 21. Nonne hic est ille Dauid, cui responderunt in tympanis: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in myriadibus suis? Hinc putant aliqui esse illud Græcū uerbū, quo tū Septuaginta, tum & Lucas de Anna prophetissa utitur, *αὐδὴ ἀπολογῶν* tamen illud potius ad Deum respicit, quod pro accepto beneficio uicissim Deo confitebatur, aut gratias reddebat. Aliquādo significat re ipsa facere quod iō mandatur. Isa. 65 & 66. Quare clamaui, & non respondistis: locutus sum, & non audiuitis: id est, me loquente non estis conuersi, nec obediistis. Romanorum nomen: Tu quis es, qui respondeas Deo? id est, qui rixaris & litigas cum Deo? Id proprie Latini dicunt *Respondere*. id est, non acquiescere in ullo Dei responso, sed semper contrā rixari ac litigare. *Inuenire responsum*, Iob 32 id est, posse respondere. 2. Corinth. 1. Responsum mortis habuimus. id est, certissimā & uelut immotā sententiā de presenti morte in me conceperā, ueluti damnati audiunt contra se sententiā mortis ferri. Sicut olim iuriscōsultorum, prætorum & principum responsa pro inmortis decretis habebantur.

RESTITVERE, aliquando significat sanare, & instaurare: ut Matt. 12, Marci 3, & Lucæ 6, Restituta est manus illius sana sicut altera. id est, sanata est. Elias ueniet, & restituet omnia. id est, instaurabit ueram religionem & cultum: Matth. 17. Actor. 1. Num in tempore hoc restitues regnum Israel? id est, instaurabis, ut Israel habeat regnum sicut olim? Actorum tertio. Quem oportet quidem cælum accipere usque ad tempora restitutionis omnium quæ prædixit Deus. id est, usque ad instaurationsis regni Dei, & rerum totius naturæ per Satanam primumque lapsum labefactatæ, aut etiam euersæ.

RESURGO, iterum surgo, sicut *ἀνίσταμι*. id est, post casum, aut cubationem, uel sessionem denuo me erigo. Per metaphoram, potissimū transfertur ad resurrectionem à morte. Vita enim quasi stare quoddam est, & mors contrā ut casus. Quare à morte reuiuiscere, est quoddam denuo surgere: inde nomen resurrectionis, *ἀνάστασις*. Primum uero significat hoc uerbum ac nomen, illam corporum totiusque hominis reuiuiscenciam, quam Deus decreuit, seq; facturum prædixit in extrema die, ut omnes iudicari, ac mali quidem puniri, boni uero foelices in regno cælorum esse possint: quandoquidem in hac uita tum mali benè, tum & boni plerunque malè habent, quod contra Dei iusticiam est. De hac resurrectione disputat Christus Matthæi 22, Marci 12, & Lucæ uigesimo, cum Phariseis, illis quidem eam oppugnantibus rei impossibilitate & absurditate, quod necessario alioqui una res haberet 100 aut plures dominos, nec tot hominibus esset locus ac uictus in hoc mundo suffecturus: quod unico tantū exemplo septem fratrum, qui unicam uxorem habuerant, declarant: illo uero eam ex Scriptura & omnipotentia Dei asserente. Sunt aut innumera huius & rei & uerbi, præsertim in nouo Testamento, testimonia ac exempla: ut Martha ait Ioan. 11. Scio quod resurget in resurrectione, in ultimo die. De hac resurrectione prolixè agitur 1. Corinthio 15, & 2. Thessalonicens. 4. Secundò, significat idem uerbum etiam istam temporariam resurrectionem, miraculosè factam, eorum qui iterum mori debebant. De qua dicit Christus Matthæi 11. Mortui resurgunt. Hebræis 11. Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos. Verùm Scriptura uocat ibidem illam priorem, potiorē resurrectionem. Tertio, resurrectio usurpatur etiam de iustificatione ac adoptione ad uitam eternam, qua in hac uita ex æterna morte iniusticiæ & iræ Dei ad ueram spiritualemque uitam resurgimus. 70

De hac potissimū inquit Christus Ioann. undecimo: Ego sum resurrectio & uita: id est, autor & effector spiritualis resurrectionis, ac uitæ æternæ. De hac resurrectione agitur etiam Romanorum 6, ubi toties Paulus ingeminat, nos cum Christo uiuificatos, & à morte excitatos esse. Hanc resurrectionem uocat Apocalypsis primam resurrectionem: dicitque beatos fore eos qui ea potiētur, propterea, quod in eos secunda mors, id est, æterna damnatio nullum ius potestatem ue amplius habeat. Colossens. secundo: Per baptismum resurrexistis cum Christo per fidem. Quarto, resurrectio non raro usurpatur de conuersione, aut resipiscencia. Prouerborum uigesimoquarto: Septies in die cadet iustus, & resurget. Ieremiæ octauo: Nunquid qui cadit, non adiciet ut resurgat? Ephes. quinto. Quare dicit, Surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Sic Luc. secundo dicitur Christus positus in ruinam & resurrectionem multorum. id est, multū scandalizabuntur eo, ut in impia doctrina permaneāt, imò etiam impingentes in hunc lapidem persecutores fiant: multi etiam contrā conuertentur. Quintò, *Resurgere* significat ex calamitatibus, quibus per iram Dei obruuntur, emergere, ut 41 Psalm. Vbi decubuit, non adiciet ut resurgat. Amos quinto: Cecidit, & non adiciet, ut resurgat, uirgo filia Israel: prostrata est in terram, & non est qui erigat eam. Idem & Amos octauo dicitur. Sic & illud primi Psalmi intelligi possit, Non resurgent impij in iudicio, nec peccatores in cœtu iustorum. id est, non consistent ibi, sed ob malam causam & aduersantem Deum succumbent. Sextò, resurrectio & sessio ponitur aliquando pro isto corporeo motu aut situ: & tamen per synecdochen omnes hominis actiones, consilia & motus, non tantum externos, sed & internos notat. Psalm. 139, Tu cognouisti sessionem & resurrectionem meam, intelligisque cogitationem meam longè ante te. Eadem locutio est & Esdræ secundo. Denique negantur aliquando mortui resurgere. id est, mox ad hanc communem uitam reuiuiscere, ubi non agitur de illa extrema resurrectione. Iob decimoquarto: Homo cum dormierit, non resurget. id est, non mox reuiuiscet. Isaia uigesimo primo: Mortui non uiuent, & uita defuncti non resurgent. Et Isa. quadagesimo tertio, de submersis Ægyptiis in mari rubro legitur: Simul dormient, & non resurgent. id est, non citò reuiuiscant, uerè ac penitus perierunt. Quæreret quis possit, qua ratione aut sensu dicatur Christus traditus propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram? Credo hunc esse simplicissimum sensum, quod peccata quidem nostra, aut iniusticiæ in eū trāsata, eum adegerint ad mortem: sed ideo surrexisse, ut nos tāquam mediator & perpetuus sacerdos, ad dexteram patris sedens, ad thronū gratiæ fide accedentes iustificet & saluet. Hanc uim & efficaciam resurrectionis Christi cupit Paulus Philip. 3 cognoscere. Verùm de priore loco clarius in præpositione PER dictum est. *Resurrectio uiæ* & condemnationis. Ioann. 5, Et prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem damnationis. id est, alij resurgent ad uitam æternam, alij ad æternum exitium. Christo singulari quadam ratione piorum resuscitatio tribuitur: sicut ipsemet aliquoties repetit, se credentes resuscitaturum esse in nouissimo die. Sic 1 Corinthiorum decimoquinto, dicitur perinde per Christum futura resurrectio, sicut per Adamū accidit mors. & Actorum 4 ac 17, in nomine IESU dicitur annunciari resurrectio. Sic & Philippens. tertio Paulus dicit, se id sollicitè agere, ut possit peruenire ad resurrectionem mortuorum. Dicat aliquis, Cur hoc tanquam eximium quoddam beneficiū Christi erga pios prædicatur, quod tamen etiam impiis continget?

tinget. Responsio: Causa est, quia piorum resurrectio uera illa, & quasi duplicata resurrectio erit. Illi enim nō tantum ad perpetuam uitam, aut durationē resurgent, sicut impij: sed etiam resurgendo simul plenissimē instaurabuntur ad imaginē Dei, gloriosissimāq; specie su perinduentur, deniq; & ad uerā uitam resuscitabūtur: cum impij ad ueram perpetuamq; mortem sint reuerti, & quidem nudi ac exuti omni Dei gloria, uestiti uerō imagine horrenda & tristi deformitate satanæ. Hæc autem gloriosa restitutio, instauratio ac resuscitatio, propriè beneficium Christi est, solisque credentibus continget. ¶ Miretur quis, quare coniungatur quæstio de animæ immortalitate cum corporum resurrectione, quomodo ex alia sequatur altera: cum & anima immortalis esse ac uiuere possit, etiam si corpus non resurgeret. Et ut maximè perinde anima esset in nihilum redacta, sicut corpus: tamen Deus posset utrūque suscitare. Coniunguntur autem istæ duæ dubitationes in disputatione Christi cum Phariseis, Matthæi 22, & Pauli 1. Corinthiorum decimoquinto. Nam Saducæi negantes resurrectionem, negabant etiam esse ullum spiritum, aut animæ immortalitatem. At Christus ex uita animæ Abrahami & Isaac, probat eorum resurrectionem. Contrā Paulus 1. Corinthiorum decimoquinto, ex negata resurrectione dicit sequi, nos tantum ad huius uitæ commoda spem in Christo habere seu hanc solam uitam nos uiuere, eoq; animā esse mortalem. Etsi autem hæc quæstio non est huius instituti, & requireret prolixiorē tractationē: breuiter tamen respondeo, Istius coniunctionis duarum quæstionum, nempe immortalitatis animæ & resurrectionis corporis, seu contrā mortalitatis animæ & corporis, perpetui interitus aut abolitionis æternæ, esse ipsarum duarum hominis partium summam coniunctionem. Non enim ita est condita anima à Deo, ut perpetuò sola uiuere sine corpore debeat, sicut angeli: sed cum sit tantū altera pars hominis, necessariò requirit etiam alterius reparationem, ut fieret homo integer, & qui totus peccauit, totus puniatur: uel contrā, qui totus est Christo insertus, ac per eum iustificatus, ac filius Dei factus, totus etiam in perpetuum uiuat. Si igitur corpus nunquam debet per resurrectionem reparari, necessariò etiam altera hominis pars, nempe anima, erit manca. & ueluti nihil. Quod si illa uiuit, & in perpetuum uiuere, ac uel benè uel malè habere debet: necessariò & alterā ad se omnino pertinentem partem aliquando recipere debet, ut in perpetuum integer homo existat. Sic igitur ex immortalitate animæ, etiam corporis immortalitas per resurrectionis instauracionem facta solidè deducitur: & contrā, ex plena perpetuaq; abolitione corporis, etiā animæ tanquam mancæ ac mutile partis (ut ita dicam) nullitas interitusq; consequitur.

RETE, per metaphoram primū significat omnis generis fraudes, maleficiaq; quibus improbi uel uitæ uel fortunæ piorum, aut aliorum pauperum & afflictorum insidiantur. Psalmo nono, In reti quod absconderunt, captus est pes eorum. id est, impij iusto Dei iudicio illis ipsis prauis machinationibus & insidijs, quas pijs struxerunt, perierunt: iuxta prouerbiū, Incidit in foueam quam fecit. Psalmo 25. Ipse educit e reti pedes meos id est, ex impiorum insidijs & machinationibus, aut alioqui ex periculis. Prouerbiū 29. Qui blanditur amico suo, rete expandit ante gressus eius. Sic Psalmo 57. Rete parauerunt gressibus meis. Et Psalmo 141. Cadant in retiacula eius impij, dum ego transibo. Sic & Abacuc tyrannidem regis Babylonis, qua omnia regna occupabat, uocat rete, & dicit eum sacrificare suo reti. id est, tribuere illas uictorias suæ sapientiæ & fortitudini, non Deo punienti per eum gentes. Significat eadem uox etiam pœnas Dei, quibus perin-

de subito & ex improviso obruit homines. Ezech. 14. Expandam super eum rete meum, & comprehendetur sagena mea. Sic sæpe in Isaia, Ierem. & alijs Prophetis legitur. Frustra iacitur rete ante faciem pennatorū: Prouerbiū primo. id est, nos facile euademus captantes nos, & omnia pericula. Christus comparat regnum cœlorum, id est Ecclesiam, ac ministerium prædicationis uerbi, sagenæ aut reti, capienti & completēti bonos & malos pisces: quia sic etiam per ministeriū non tantum uerè pij, sed & multi hypocritæ in Ecclesiam congeruntur.

RETENTIO, aliqui uertunt uocabulum רָצָה Ezara, Isa. 1. quia (ut Rabini aiunt) sacerdotes detinebāt populū adhuc una die ultra festū, ueluti augēdi cultus gratia. Mihi magis pbatur Germanica, quæ habet: Cōuocare concionē non possum, idololatria est, & uiolentia. ut illud Retentio uiolentiam notet.

RETRIBVO sæpe significat (ut & D. Basilius monet super Psalmum 7) ultrò ac primū alicui benefacere, aut beneficium dare: sicut modò diximus, Respondeo significare inchoationem sermonis. De hoc Hebraico diximus etiam suprā in uerbo Reddo. Psalmo 116. Quid reddam Domino pro omnibus retributionibus eius? ut habet Vulgata, & Monsteri. Nam in Hebræo est potius, Omnes retributiones eius super me. id est, debeo ei gratias pro omnibus eius beneficijs. nā id est, debeo ei gratias pro omnibus eius beneficijs. nā pro nullo adhuc retuli. Hæc significatio de gratuita Dei beneficentia diligenter obseruanda est, ne quis eā ad remunerationem bonorum operum trahat. Sic Psalmo 113. Cantabo Iehouæ, quòd retribuit mihi. id est, benefecit seu beneficium in me contulit, ideoque ei gratias agam. Psalmo 119. Retribue seruo tuo, ut uiuam, & custodiam uerbum tuum. id est, præsta mihi hoc beneficium, ut uiuam, & te celebrem. Psalmo 142. Circa me colligent se iusti, aut ad me se aggregabunt cum retribueris. id est, benefeceris mihi. Prouerbiū undecimo, Retribuet animæ suæ uir misericors. Usurpatur idem uerbū etiam in malam partem, tum de prima ac ultronea læsione, tum & de iniuriæ repensione. Sic in fine Genesis bis hoc uerbum usurpatur, de iniuria fratrum contra Iosephum. In Psalmis porrò crebrum est Retribuere malum pro bono. Psalmo 137. utriusque significationis, lædentis & ulciscētis, exemplum est in uno uersiculo: Beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis: ubi agitur de uindicta iniuriarum Babylonis. Dicitur Retributionum annus, id est, quo Deus uult castigare pro peccatis. Dies ultionis Iehouæ, annus ad retributionem, ad iudiciū Sion. id est, aderit tempus, quo ulciscetur se Dominus de iniurijs illatis Sioni, & populo suo. Retributio manuum, est aliquando beneficium ultrò ab aliquo præstitum: aliquando autem merces, præmium, aut gratia pro tali opere reddita. Iudicum nono, Si secundum retributionem manuum eius fecistis ei. id est, si eas gratias rependistis Gedeoni & eius filiis, quas eius ingentia ultroneaque beneficia in uos meruerant. Prouerbiū 12. Retributionem manuum hominis reddet ei. id est, præmia bona aut mala, suis factis conuenientia. Isaie tertio, Væ impio malo, retributio manuum eius fiet ei. id est, rependetur ei iuxta malefacta eius. Reddere retributionem alicuius. Psalmo uigesimo octauo. id est, reddere rationem. Mihi uindicta, ego retribuam. Deuteronomij 32. Romanorum duodecimo, Hebræorum decimo. id est ego puniam.

RETRO abire, est deficere ab aliquo: sicut contrā, Sequi eum, est eius doctrinæ, sententiæ, & autoritati adhærere. Iohannis 6. Ab eo tempore multi retrò abierunt, & non amplius cum eo ambulabant. id est, ab eo defecerunt. & 1. Tim. 5. Iam enim quædam euerisæ sunt retro Satanam. Contrā autem ire post, aut retro aliquid, est

est eum sequi: sicut Christus Petro, sibi humana sapientia in fugienda cruce impiè praire uolenti, mandat, ut potius sequatur & audiat eum, quam doceat. Alij uolunt, Christu oburgando eum ueluti prorsus à se abigere uoluisse: sicut solent Latini dicere, Abi in malam rem. Ac eodem sanè modo & Satanam Christus Lucæ quarto increpat: Abi retrò me Satana. scriptum est enim, &c. Sic Psalmo 80, Sit manus tua super nos, & non retrocedemus à te. id est, non deficiemus. Psalmo quadragesimo quarto: Non retrò actum est cor nostru, neque declinauit gressus noster retrò te. *Retrò tre*, aliquando significat ab instituto, aut etiam inchoato opere desistere, uel sententiam mutare. Ezechielis decimo quarto: Veni, & faciam, non retrò cedam. id est, non mutabo sententiam, aut ab opere desinam. Vicina est huic metaphora Latina *Retrò cedere*, & *Referre pedem*. *Retrò* & antè formasti me: Psalmo centesimotrigesimonono. id est, circumquaque. Sic & in Apocalypsi: Plena erat oculis antè & retrò.

RETRORSUM, est retrouersum. Isa. primo; Alienati sunt retrorsum. id est, alieni facti sunt ab eo, & retrouersus ab illo recesserunt. Hieremiæ septimo: Abierunt in consiliis suis, & in prauitate cordis, factique sunt retrorsum ut antè. Et Hieremiæ decimo quinto: Tu deseruisti me, dicit Dominus, & abiisti retrorsum. id est, defecisti à me. *Conuerti retrorsum* aliquem, aliàs significat pudefieri: quos enim pudet, auertunt se, nec audent in faciem alios intueri. Psalmo 129. Pudore afficiuntur, & conuertentur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Sic & Psalmo trigesimo quinto: Conuertantur retrorsum, & pudore afficiantur, omnes qui cogitant mihi malum. Idem Psalmo quadragesimo plenius dicitur. Aliàs significat in fugam conuerti, aut certè non aude re aggredi hostem, nec uincere eum posse: sicut Iohannis decimo octauo, externa specie accidere uidemus militibus, in quibus phrasis hæc externo opere exprimitur. Psalmo quadragesimo quarto: Facis nos redire ab hoste, & qui oderunt nos, rapuerunt sibi. 2. Samuelis primo: Sagitta arcus Ionathan non rediit retrorsum. id est, non est uersus in fugam, aut non frustra ac sine successu inuasit hostem. Threnorum secundo: Redire fecit retrorsum dexteram à facie inimici. Psalmo quinquagesimo sexto: Tunc reuertentur inimici mei retrorsum, in qua die inuocaui. Hieremiæ 38, Demersis sunt in cœnum pedes tui, conuersi sunt retrorsum. id est, miserè uictus succubuisti. *Percutere retrorsum*, est terga hostium uertere ac cedere. Psalmo 78, Percussit hostes suos retrorsum. Proiecasti sermones meos retrorsum: Psalmo 50, aut post te. id est, neglexisti, contempnisti, quia quæ curamus, ante oculos habemus: quæ negligimus, aspicere nolumus, ab eis nos auertimus, aut retrò nos abijcimus.

REVELARE, crebrò ac maximè propriè significat denudare: quasi uelum rei, quo ea occultabatur, abstrahere. 2. Corinth. 3, Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini, ut in speculo contemplamur. id est, reuelata facie apertè & liberè, non tecto uelamine Moysis. Isaia quadragesimo septimo: Reuela crura, transi flumina. Hinc *Reuelare fundamenta* alicuius muri aut ciuitatis, est eam euertere: quia cum eruuntur fundamenta ex terra ut omnium oculis nudentur, muri super ea stare non possunt. Ezechielis decimo tertio, Michæ primo: Fundamentum eius reuelabo. & Psalmo decimo octauo. Hinc oritur & illa locutio, *Reuelare alicuius turpitudinem*: pro, coire cum aliqua: quia tunc fit aliqua denudatio. Quæ locutio Leuitici 18 sæpissimè repetitur. Ibidem tamen ista eadem locutio nonnihil uariatur, cum inquit: Turpitudinem patris tui ne reueles, aut denudes: pro, non habueris rem cum matre, aut nouerca, quia etiam illa est quasi tui patris nuditas, quando-

quidem coniuges una caro sunt. Porro quia nihil magis decet ac decorat mulierem, quam pudicitia, uerecundia, & contentio tegendarum partium: ideo crebrò *Reuelare nuditatem* alicuius mulieris, uel gentis ac populi, per mulierem aut uirginem figurati, est priuare eam omni gloria, & contemptam ignominiosamq; efficere. Isaia quadragesimo septimo, de Babylone dicitur: Reuelabitur turpitudine tua, aut pudenda tua. Hieremiæ decimo tertio: Propter magnitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt fimbriæ tuæ. Et mox: Vnde & ego denudaui fimbrias tuas in facie tua, ut appareat ignominia tua. Idem Ezechielis decimo sexto, Sic & Nahum tertio: Reuelabo pudenda tua. *Reuelare, & Reuelatio*, ualde crebrò significat patefacio, quasi uelum occultans rem abstrahò, rem denudo. Galatis primo: Ut reuelaret filium suum in me. id est, per me, seu me prædicante. Quale sit uniuscuiusq; opus, in igne reuelabitur: id est, per ignem, seu ministerio ignis cõperietur. Psalmo trigesimo septimo: Reuela Domino uiam tuam. id est, illi patefacito aut indicato tuas curas aut molestias ab eoq; opem petito. Matthæi decimo, Lucæ duodecimo. Nihil est occultum quod non reuelabitur. id est, patefiet. Matthæi decimo sexto. Caro & sanguis nõ reuelauit tibi. Lucæ secundo. Ut reuelentur cogitationes ex multorum cordibus. id est, patefiant in cruce multorum cogitationes prauæ, antea per hypocrisim uelata. Et sicut Paulus ait, Quò qui probati sunt, fiant manifesti: primæ ad Corinthios undecimo. Sic Isaia quinquagesimo tertio, & Iohannis duodecimo: Brachium Domini cui reuelatũ est. Sic Romanorum primo, iusticia Dei in Euangelio reuelatur. id est, indicatur, manifestatur. Et mox: Ira Dei reuelatur de cœlo. Isaia uigesimo secundo. Reuelatum est in auribus Domini. id est, blasphemia, quæ ibi præcessit, innotuit Domino. Psalmo 98. Notam fecit Dominus salutẽ suã, reuelauit coram gentibus iusticiam suam. idem bis dicit. Isaia 56. Propè est iusticia mea, ut reueletur. id est, ut toti mundo patefiant. *Reuelari alicuius maliciam*, aut scelera, crebrò dicitur. Reuelastis præuaricationem uestram, Ezechielis 21 & 23. Reuelabitur ignominia fornicationum uestrarum. Osee 7, Reuelata est iniquitas Ephraim. Reuelabit terra sanguines suos, & non teget ultra eos, qui in ea occisi sunt. Isaia 26. Hinc fit, ut non tantũ ultimus ille liber Apocalypsis, sed & omnis alia patefactio Dei ac prophetia uocetur *Reuelatio*: quia, ut propheta inquit, Dominus patefacit secreta sua seruis suis prophetis, & per eos toti mundo, quæ alioqui per sese nemo sciret. Dicitur etiam *Reuelare oculos & aures*, cum Deus eos illuminat seu aperit: uel etiam cum alicui largitur, ut uerè ac spiritualiter suam uoluntatem ac mysteria uideat ac audiat. Psalmo centesimodecimo nono. Reuela oculos meos, & intuebor mirabilia de lege tua. ubi Reuela planè idem quod Illumina significat. Sic Numer. uigesimo quarto, Bileam dicitur reuelatus oculos. id est, illuminatos habens oculos. & ibidem uigesimo secundo, Deum reuelasse oculos ipsius, ut uideret angelum. id est, illuminasse. Sic aures reuelari. id est, aperiri aut edoceri, dociles ue fieri dicuntur. 2. Sam. 7, Reuelasti aurẽ serui tui dicendo, Domũ edificabo tibi. Sic 1. Paralipomenon 17, Reuelasti aurẽ serui tui, quod ei edificares domum. Reuelat aurem eorum ad correctionem. Iob trigesimo sexto. id est, admonet. Ibidem, Reuelabit aurem pauperũ in oppressione. pro, reddet eos dociles in cruce & afflictionibus. 1. Sam. uigesimo secundo queritur Saul dicens: Non est qui reuelet aurem meam. id est, mihi indicet. Sic sæpissimè aliàs hæc locutio usurpatur. Eodem modo credo accipi uocem *Reuelationis* pro illuminatione, etiam Lucæ 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuę Israel. id est, ad illuminandas aut erudiendas gentes. Alij

exponant lumen reuelandum: sed sequens, Et gloria plebis tuæ Israel, indicat significari aliquem effectum aut bonum gentibus communicandum per Meschiã, sicut Israeli gloriam. Illud sanè ad, non frustra ibi positum est, nec expungi debet: ut quidam in sua peruersione facit. Sic possis & illud secundæ ad Corinthios tertio accipere: Nos omnes reuelata facie contēplamur gloriam Domini. id est, illuminata, clarèq; cernente. De quo paulo antè dixi. Porro quia nulla est luculentior reuelatio cuiusquam, quàm cum illud ipse sum coràm exhibetur: ideo non rarò reuelari aliquid significat, id coram exhiberi. Ieremiæ trigésimotertio: Et reuelabo eis multitudinem pacis & ueritatis. id est, depromam eis largissimam pacem, & præstabo promissa. Sic Isaiæ quadragesimo: Et reuelabitur gloria Domini, uidebitque omnis caro quòd os Domini locurū sit. id est, Meschias, qui est gloriosus Deus, & gloriosa bona afferet, gloriamq; Dei, qua destituuntur homines, reparabit, coràm exhibebitur, ita ut uideamus gloriam unigeniti nobis exhibitam: uerissimaque ea omnia esse, quæ antea Deus promiserat. Amos quinto: Et reuelabitur sicut aqua iudicium, & sicut torrens iusticia. id est, maxima copia exhibebitur, sicut aquæ in copia contingunt. Hoc Hebraismo *Reuelatio Christi, eius apparitio & aduentus dicitur.* Talis erit dies, quo filius hominis reuelabitur: Lucæ decimoséptimo: id est, in suo secundo aduentu exhibebitur, aut adueniet: tunc omnium uel maximè patefiet. Primæ ad Corinthios primo: Expectantes dum reueletur filius Dei. id est, coram secundo gloriosoque aduentu suo exhibeatur, ipsemet adueniat. Sic & secundæ Thessalonicensium primo: Vobis uerò qui affligimini relaxationem in reuelatione Domini nostri IESU Christi de cælo cum angelis potentia suæ. Eadem uox, ac in eodem usu etiam, 1. Pet. 1 & 4 reperitur. Sic & Rom. 8 habet: Quæ nunc patimur, nequaquam paria sunt futuræ gloriæ in nobis reuelandæ. id est, diuinitus donandæ. Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ parata est reuelari in ultimo tempore: 1. Petri 1. id est, exhiberi. Verùm non est ignotus hic idiotismus etiã Græcis, Latinis ac Germanis, ut uerba Noticiæ pro uerbis rerū ponatur, seu dictum pro facto, ut Linacer loquitur: & suprã, & in quadam Regula Vniuersali idem ostēdi. Sic dicit Paulus 2 ad Tim. 4. quòd Alexander ærarius sibi *Adæaro* ostenderit multa mala. Et Germani, *Veil guts erzeigen, oder beuueisen.*

REVERTOR uerbum, eiusque Hebraismi aliquo modo sunt expositi in uerbo REDEO: nihilominus & hic aliquos adiiciam. *Reueri, & aliquid agere:* pro, rursum id facere, ualde crebra phrasis est. ut Genesis 26, Reuersus est, & fodit puteos: pro, iterum fodit. Ea autem suprã in uerbo REDEO, & in Regula Vniuersali, Qd uerba uerbis aduerbiorum uice, aut ad eorū instar addantur, exposita est. Sic 2. Paralipomenon 33 dicitur, Reuersus est & ædificauit excelsa. id est, rursus ædificauit, postquam destructa fuerant, uel reædificauit. Psalmo septuagesimo octauo: Reuersi sunt & tentauerunt, pro, rursus tentauerūt, uel etiam iterato ac identidem & subinde tentauerunt. Psalmo 6. Reuertere Domine, eripe animam meam: id est, iterum eripe, seu pristina ualeudini restitue uitam meam. Talis Hebraismus est & ille Iob 7. Non reuertetur oculus meus, ut uideat bonum. id est, non iterum uidebit, non uidebit amplius. *Reuertendo reuertar* ad te secundum hoc tempus anni: Genesis decimo octauo. id est, certissimè reuertar. De hoc Hebraismo uide Regulam Generalè de Repetitionibus. Quando post gestationem arca debebat certo loco deponi, castrametantibus Israelitis sacerdotes cantabant, Reuertere Domine ad decem milium Israelis. id est, conuiesce ex ista profectioe hic

in medio Israelis: Numer. decimo. *Reueri cum miseratis* onibus ad aliquem. pro, reconciliari ei. Zachariæ 1. Reuersus sum ad Hierusalem cum miserationibus. Sic Zachariæ octauo: Reuertar ad Sion, & habitabo in medio Hierusalem. id est, redibo cum eis in gratiam, & placabor eis. *Reueri in pace,* est incolumem reueri, Iudicium 11. Reueri ad dies adolescentiæ, est flori iuuenili restitui, Iob 33. *Reueri facere aliquid ad cor,* est recordari, in memoriam reuocare: quæ ratio etiam Latinæ compositionis Recordari uerbi esse uidetur. 2. Paralipomenon 6. Si reduxerint ad cor: aliqui subintelligunt, tuum uerbum, promissionesque & sua malefacta. Alioqui *redire aut reueri ad cor* sæpe significat resipiscere, aut ad sanitatem reueri, eo quòd peccantes sunt ueluti uecordes, aut sine corde, seu abientes à suo corde. *Reueri deponit aliquem,* est desinere eum sequi. 1. Regum 19. Sic Ezechielis 10, Non reuertebantur rotæ de prope illos. id est, semper sequebantur ac comitabantur illos. *Reueri facere faciem precantis,* est repellere eum, non exaudire eum. 1. Reg. 2, Petitionem unam petam à te, ne reueri facias faciem meam. id est, ne me irrito conatu repellas. Eadem, aut certè uicina uis est locutionis, *Reueri facere retrosum* ab hoste, Psal. 44. id est, repelli, ut suprã in REDEO & RETROSUM dixi. Sic quoque dicitur Iob 39, Non reuertitur equus à facie gladij. id est, non resilit, non cedit, non uertit terga, aut se repelli patitur. *Reueri,* pro sanari, aut pristino statui restitui: Exod. 4, Reuersa est sicut altera caro. Sic Ezech. 35, Vrbes tuæ non reuertentur: subintellige, in pristinū statum, non instaurabuntur. *Reueri ad Deum,* est, per pœnitentiam conuerti ad Deum: Osee 7. Isa 1. uide POENITENTIA. 2. Sam. 11. In reuersione anni, tempore quo reges exeunt ad bellum. id est, circum uoluto anno.

RIDEO, & RISVS, uaria respicit eoque etiam uarias significationes uoces hæ pariunt. Rident securi, ac contemntes pericula: rident & non curantes aut dolentes alienas miseras: rident læti: rident derisores: risui etiam iocus ac lusus solet esse adiunctus. Quare *risus & rideo,* omnia ista sibi adiuncta ac uicina simul notare solent. Læticia indicatur hoc dicto: Tunc replebitur os nostrum risu, Iob 8. Psal. 126. id est, accepta liberatione erimus læti. Sic Genesis 20, Risum fecit mihi: id est, data præter omnem spem iam decrepitæ uetulæ prole, exhilarauit me. Sic & Christus inquit Lucæ 6. Væ uobis qui iam ridetis, quoniam lugebitis & flebitis. id est, qui iam læti estis, & iocos aliaque hilarantia sectamini. Prouerbiorum 14, Risus fletu miscetur. id est, secunda aduersis temperantur. Non carèt læta & secunda suis doloribus. Securitatem significat, ut Iob. 5. Vastitatem & famem ridebis. Sic Iob 41 dicit, Cete deridere uibrantes cōtra se hastã. id est, non timere eos. Sic & Deus Psal. 2 ad fremitū & furorē impiorū contra ipsum & Christum eius ridet. id est, securus contemnit, aut etiã ut stultissimos deridet. Et in 37 Psalmo ridet impium, perniciem molientem piis: quia scit ei de proximo adesse ac instare interitū. Aliquando simpliciter negligere, ac non curare significat: quod tamè uicinum præcedenti significationi est: ut Prouerbiorum primo dicit Sapiētia: Et ego ridebo in interitu uestro: scilicet, sicut uos iam negligitis ac cōtemntis mea pia ac salutaria monita, ita ego uicissim contemnã exitiū uobis ex uestra stulticia & imperitia ortum. Significat interdū hostiliter deridere. Sic risit, aut potius acerbè derisit Ismael Isaacum infantem, Genesis 21. Et Paulus Galatis 4, illum risum pro persecutione habet, eoq; explodi ancillã cū filio ex ædibus ostendit. Significat interdum blandè, læta fronte, ac familiariter cum aliquo agere, uersari, & colloqui. Sic ridentem & quãsi iocantem Isaacum cum Rebecca uidit Abimelech: unde

unde collegit eam esse ipsius uxorem, non sororē. Genes. 26. De tali familiari colloquio & iocatione intelligitur etiam, quod Iob ait capite 29. Ridebam ad eos, & non credebant, & lucem uultus mei non abiciebant. id est, quantumuis ego eos meo risu ac iocis ad familiarem quandam collusionem prouocabam: tamen ipsi me reuerebantur, & illam mei faciei hilaritatem nō par uipendebant, aut pro lusu aut re ludicra habebāt. Significat etiam ludere ac saltare, canere & psallere. 1. Paralipom. 13. Dauid autem & omnis Israel ridebant coram arca omni uirtute, in canticis & citharis, nablis & tympanis, cymbalis atq; tubis. Prouerb. 10. Veluti risus est stulto facere abominationē. id est, ueluti iocus quidam, delectatur ea re.

RIVVS aquæ aliquando significat doctores ac religionem, uerbumq; Dei: sicut & ros, pluuia, aut nix rigans, significat ipsum uerbum aut doctrinam cœlestē, quæ non redit inanis ad Deum. Isaia 30, Erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riuus & fluenta aquarum. Sic & Christus suum Spiritum ac uerbum cum fluentis aquarum perpetuo salientibus comparat. Sic & Psalm. 65, Riuus Dei plenus aquis. Et Psalm. 46, Fluxus riuulorum eius lætificabit ciuitatem Dei: ueram religionem & ministeriū Euangelij Christi denotat. Sicut riuus aquarum, cor regis in manu Domini: quocumque uolet, inclinabit illud, Prouerb. 21. id est, sicut riuus uel in primis iniitiis alio declinare potes, uel etiam in irrigando quocumque fermē libet, potes eos deducere: ita etiam Deus, quocumque uolet, potest cor regis flectere, quantumuis ille sibi solus sui iuris, suiq; arbitrij aut suæ spontis ac regiminis esse, eoq; ferri quod ipsi soli libeat uideatur. Cui omnes subditorum uoluntates ac corda obedire cogantur, cum ipse nulli obediat. Sicut ille inquit: An nescis, quod uel interficere uel dimittere te possim? **Riuus mellis**, copiam rerū bonarum fœlicitatemq; significat, sicut & terra fertilissima hac locutione describitur, quod in ea fluat lac & mel. Legitur igitur Iob uigesimo: Non uidebit impius riuulos & flumina torrētium mellis & butyri. id est abundantiam annonæ & pacis, aliorumq; 40 cōmodorū. Riuus alioqui uel per excellentiam, uel aliqua alia ratione ualde crebrō Nilum significat in ueteri Testamento.

RIXA, uox ac res nota est. *Vir rixæ*, in Sacris non is dicitur qui rixosus est: sed qui rixam aut litem, uel ciuilem uel bellicam, habet cum aliquo. Iudicum 12. Vir rixæ fui ego, & populus meus, & filij Amon ualde: & clamaui ad uos, & nō opitulati estis mihi. id est, grauissima lis fuit nobis cum Ammonitis, qui nos graui seruitute presserunt, &c. Isaia 41. Et peribunt uiri rixæ 50 aut contentionis litis uæ: id est, qui tecum litigant, aut tibi aduersantur. Hieremias 15, Væ mihi mater mea, quod genuisti me uirum rixæ, & uirum discordiæ toti terræ: id est, omnium iniuriis & contumeliis expositum: aut potius, qui cū omnibus lites habet religionis & pietatis gloriæq; Dei gratia.

ROBIGO, aut **RVBIGO**, segetum morbus, quo spicæ quasi torridæ ac aridæ fiunt, quem Deus Israelitis minatur Deut. 28. & 1. Reg. 8.

ROBUR, & **ROBORO**, exposui supra in **FORTIFICO**. Eadem enim uis utriusque uerbi est, & pro iisdem Græcis aut Hebræis ponuntur, seu eadem Hebræa aut Græca nomina exprimunt. Nunc pauca addam de adiectiuo Robustus. Et cadit in robusta eius congregatio aut cœtus pauperum. Psalm 10: uidetur persistere in similitudine leonis prædæ insidiantis. Nam, inquit, cōprimit & humiliat se ut cadat in robusta eius cœtus pauperum. id est, in ungulas eius, in quibus est robur leonis. quasi dicat: Perinde omni diligentia & astutia insidiatur miseris, ut leo solet se humi pro-

sternere, & caput demittere, ac quietè iacere & latitare in suo latibulo, donec aliquod animal non cernens eū, illuc accedat, quod ualidis suis ungulis corripit, & discerpat. *Gens robusta facie*, pro impudenti fronte ponitur, Deuteronom. 28. Sicut in uerbo **FORTIFICO**, diximus, Scripturam dicere, impios & scorta fortificare faciem suam, Prouerb. 7 & 21. Sic constanti prophetae tribuit Deus in Hieremia frontem æneā. Sic & Comicus inquit, Os durū: & alius, Ferreū, & frons æneā. Væ robustis aut fortibus ad miscendū ficerā, seu potatoribus, Isaia 5. id est, qui gloriantur se multum potare posse: sicut quidam etiam nunc iactant, se tantum bibere posse, quantum bos sitiens hauriat. Robustus fuit usq; in excelsū, 2. Paralipomenon. uigesimo sexto: p, fortiter ac uiriliter egit supra modum. Vade, esto robustus. 1. Regū uigesimo. pro, esto animo forti ac hilari, uade audacter. ¶ Addam hic superioribus illis in uoce **FORTITUDO** dictis, pauca de uoce **ROBUR** & **ROBORO**. Robur aliquando uidetur significare auxiliū, aut uim. Psalm. octuagesimonono: Auertisti robur gladij eius. Septuaginta, *sedes* auxiliū: possis etiam aciem intelligere. Psalm. octuagesimo quinto: Congregatio robustorū quæsierunt animam meam: id est potentū. Primogenitū notat Gen. 49. siue quia primogeniti in primo flore ac uigore procreantur: siue quia sint quasi stabilimentū & præsidium tum patri seni, tum & paruis fratribus. Robur, diuitias etiam significat Hieremię decimonono: quia inde fiunt homines potentes ac ualidi. Robora uires ualde, Nahū 2. de augendo exercitu pleriq; exponūt. Posses autem complecti etiā alia ad bellum facientia.

ROS COELI, aliquando omnem cœlestem efficaciam in procreādis fructib. terræ significat, uelut per synecdochen posita parte pro toto. Genes. 27. De rore cœli, & pinguedinibus terræ det tibi Deus. Mox se exponit addens: Et copiam aut abundantiam frumētī ac musti. Mox ibidem sequitur: In pinguedinibus terræ & rore cœli erit habitatio tua. Precatur igitur illis pater, ut Deus faciat conuenire tum cœli, tum & terræ efficaciam, ad eorū fœlicitatē ac opulentiam. Ros pernoctat in ramis meis, Iob uigesimonono. pro, assidue humectat fructū meum: quasi dicat, etiam liberi mei benedictione Dei perinde fouentur ac beantur, sicut uirentia rore super ea cadente, & in illis morante. A rore uariæ similitudines sumuntur in Sacris, pro ut sunt uarię eius proprietates. Primum enim, Chusai in dando Absoloni consilio, ait: Et quiescimus aut castrametabimur super eum, quemadmodū ros cadit super terram. id est, perinde subito obruemus eum, & omnia loca circa eum nostra ingenti multitudine occupabimus. Deinde, quia ros est admodū salutaris terræ nascentibus, refrigeratq; etiā terram æstu diurno fatiscentem: ideo res gratæ ac salutare comparatione roris illustrantur. Prouerbiorum decimonono: Sicut ros super herbam, beneuolentia regis. Osee decimo quarto: Ero tanquā ros Israeli, germinabitq; tanquā lilium, & pertingent & extendentur radices eius sicut Libanus. id est, sicut ros facit germinare herbas, ita mea benedictio augebit & beabit Israel. Psalm. 133, concordia fraternā illustratur roris super Hermon cadentis similitudine. Quia enim ibi erant loca herbosa, & pascua uberrima: maximè utile erat ea in illis Syriacis diurnisq; æstibus rore nocturno recreari, ac refocillari. Nam uineta, frumenta, & præsertim arbores, non perinde rore iuuātur, ut humiles herbe, quarū radix & folia sunt uicina superficie terræ. Isa. uigesimo sexto legitur, Ros olerum ros tuus, & terra mortuos proiciet. id est, sicut rore tuo soles ac potes herbas & olera ex terra euocare, ita poteris etiā mortuos tua admirabili omnipotētia excitare. Psalm. centesimo decimo est: Ex utero, ex aurora ros iuuentutis

uentutis tuæ. Similitudo est rei mixta, ut solent Hebræi facere. Sensus autem est, quod sicut ros mirabili ac inuisibili modo ex utero auroræ, id est, aurora ex oriente nascitur, sine omni ope ac uiribus humanis: ita etiam iuentus, aut ipse quoque partus populi Dei, mirabili prorsus modo propagabitur & crescet Meschiæ: sicut alibi dicitur, sterili plures liberos crescere quàm fecundæ. & ipsamet sterilis mater Ecclesia miratur in Isaia, unde sibi tanta soboles uenerit. Sic Christus comparat suum regnum fermento sponte massam fermentanti, & semini sinapis mirabiliter crescenti. Eodem facit, quod Christus de hac natiuitate populi Dei agens dicit, Spiritum quidem spirare, & motum eius sentiri, sed ortum ac finem eius non posse satis humana ratione percipi. Hæc similitudo plenius Micheæ primo, in hac ipsa materia aut re proponitur. inquit enim ibi Propheta: Erant reliquæ Iacob in medio populorum multorum: sicut ros à Domino, sicut stillæ super herbam, quod non expectat hominem, nec confidit in filios hominum: id est, sic perinde mirabiliter, inuisibiliter, & non humanis uiribus, aut (sicut Iohânes inquit) non ex sanguinibus, sed ex Deo nascentur. Hoseæ sexto & decimotertio comparatur fugacitas roris ac nubis matutinæ cum iusticia hominum, & subito interitu incredulorum. *Cælos prohiberi ne dent rorem*, Hag. primo & contrâ, *Cælos dare rorem suum*, Zachar. 8, est terram fecundari, aut nõ fecundari humore cælesti, pluuiam Deo dante, aut prohibente.

ROTA, aut GLOBVS, sua similitudine declarat impiorum incertissimam ac instabilem sortem, uel potius calamitosam & tristem conditionem. Quia sicut rota ob rotunditatem ac uolubilitatem suam nusquam rectè ac tranquillè consistere potest, uerùm huc atque illuc uoluitur, donec uel confringatur, uel præcipitata subuersaque iaceat: sic & impios Deus, cum exardescit, per uarias calamitates agit, uoluit & proturbat, donec tandem intereant. De quo genere Hebraismo, eorumq; causa aut fundamento, aliquid fortè in uerbo S T O dicitur. Psalmo octuagesimotertio: Deus pone eos sicut rotam, & sicut stipulam coram uento. Et mox: Sic persequeris eos in tempestate tua, & in turbine tuo terrebis eos. Hic textus ipse indicat ac explicat, quomodo impiorum inconstatissima conditio, ira Dei eos persequente, uoluatur & proturbetur per uarias pœnas ac horrendas calamitates, donec tandem præcipitentur in æternum exitium. Isaia quinto, describitur terribilis hostium exercitus, à uariis accidentibus & circumstantiis. inter alia dicitur de eo, Sagittæ illius sunt acutæ, arcus intensi, unguis eorum eius quasi silex reputatæ sunt, & rotæ eius quasi turbo. id est, cursus eius erunt uelocissimo maximoq; impetu, in nos ruentes ut nos proterat ac perdant. Similis descriptio exercitus & curruū hostilium est & Ioelis 2, & Nahum tertio. Ita uigesimo octauo dicitur de uaria trituratione frugum, & quod triticum rota trituretur: ubi illa longa similitudine ostendit, se modū ac moderationē adhibere in castigandis piis. Ezechielis primo describitur mirabilis & penè inexplicabilis uisio quadrigæ & rotarum, sicut & Danielis septimo: quæ tractatio nõ propriè ad phrasin pertinet, sed ad rerum ipsarū tractationem. Lingua inflamat rotam natiuitatis, Iacob tertio. id est, reuolutionem uitæ, aut totum cursum uitæ. Lingua enim impiorum à satana inflamata ac instigata, & diabolico ueneno infecta, omnia mēdaciis, calumniis, sophismatibus, sycophantiis, blasphemis, instigationibus ac delationibus, & deniq; falsa doctrina incendit ac perdit. Alij per rotam circulum & generationem creationemq; intelligunt, quasi impia lingua totū orbem mundi aut creaturarum suo infernali igne inflammet. Sönitus tonitruum in rotunditate, Psalmo 77. uel

in sphaera: quia aer globosus est, in quo tonitrua audiuntur, & totum cælum siue æther, siue nubes nobis caua & circulares esse uidentur.

RUBEO: Color albus apud omnes gentes symbolum innocentia: fuit: fortè quia plurimum lucis habet; aut quia naturalis est lanæ, lino, serico & gossipio, cum alij colores humana arte & quasi fucō fraudeque accersantur. Hinc Latinis *Candor*, & *Candidus homo* pro sincero: & *Candida dies*, pro læta. Et Romani *Candidati* albedine uestis, præterita & futura uitæ innocentiam pollicebantur. Contrarius est, *Ater homo*, & *dies*. Contrâ *Rubens color*, siue quia sanguinem refert, siue ob aliã causam, in Sacris literis contaminationem peccati denotat. Isaie primo: Si fuerint peccata uestra tanquã coccinum, ueluti nix albescent: si fuerint rubea tanquam uermiculus, ueluti lana alba erunt. idem bis dicitur. Sicut uerò hic remissio peccatorum aut iustificatio per albedinem denotatur: sic & Psalmo quinquagesimo primo dicitur, *Asperges me Domine hyssopo*, & super niuem dealabor. & in Apocalypsi Dealbare uestes in sanguine agni legitur. Victoria indicatur per *Pedum rubricationem*, Psalmo 68. *Vt rubescat pes tuus sanguine inimicorum tuorum*. id est, sis uictor hostium tuorum. Cum enim cæduntur à uictore exercitu fugientes hostes, necessariò pedes sanguine humi fuso contaminantur. *Rubicundior oculis* præ uino, uel potius rubicundos habens oculos à uino, & albicans dentes à lacte. Gen. 49. id est, Iehuda habebit maximam copiam uini & lactis. Vestimentum Christi rubrum esse dicitur Isaia 63. quia propugnando, & præsertim redimendo Ecclesiam suam, cecidit hostes suos, & sanguine eorum uestes contaminatæ sunt: ut solet in conflictu ac præliis fieri, ut etiam uictores aspergantur sanguine caesorum. Simul uerò indicatur eius cruenta uictoria, quod moriendo, suumque proprium sanguinem effundendo de uicit hostes. Apocal. 17, meretrix Babylonica dicitur insidere bestia: coccinea. id est, rubenti purpureo colore: quod nimirum significat tum sanguinarium Antichristi regnum, tum etiam alioqui omnibus sceleribus contaminatum. Quibus & blasphemias adiunctas esse ibidem Scriptura affirmat.

RUBVS, genus arbusci spinosi est, in quo apparuit Deus Moysi in specie flammæ: Exodi 3. Deuteronom. 33. Actorum 7. Mirabatur igitur Moyses, cum uideret flammã in rubo esse, eum non exuri, ac tandem deficiente materia cessare extinguiq; flammam. inde igitur incipiebat conicere, esse omninò aliquid præternaturale. Quare accessit uisurus. ubi à Deo appellatus est, mandataque ei ad populum Israeliticum & Pharaonẽ tradita sunt.

RUGITVS, & RUGIO, tribuitur propriè leonibus. Sed in Vulgata uersione, etiam in Hebræo textu, significat aliquoties illum fremitum uel iratorum, uel etiam alioqui ualde dolentium. Psalmo trigesimo octauo, *Rugio præ fremitu cordis mei*. Item: *Dissolutus sum*, & contritus ualde, *rugio præ fremitu cordis mei*. Sic & Psalmo 22, *Longè à salute mea uerba rugitus mei*: id est, meæ sollicitæ preces magis rugitu quàm uerbis editæ erga te, nullam adhuc (quantum uideo) salutem impetrant. Isaie 5, in descriptione hostilis exercitus tribuitur ei rugitus, sicut leoni. inquit enim: *Rugitus illius sicut leonis*, fremitus sicut catuli leonis, & frendet atque apprehendet prædam, & spolia corradet & nemo eripiet. In fine Ioelis, & initio Amos, tribuitur etiam Deo rugitus, dum doctrinam ac uerbum suum prædicari facit. In priori loco dicitur id de doctrina Euangelica: in posteriori autem, de doctrina legali. Est autem metaphora, quod sicut leonis rugientis uox omnibus animalibus est terribilis: ita & homines moueri ac contremiscere deberent, diuina maiestate cæli:

celitus ad eos loquente, ac ueluti intonante & corrumpente supernè.

RVINA, & RVERE, ualde significantes uoces sunt. *Isaiæ 3*, Sit hæc ruina sub manibus tuis. id est, tu corrigas & sanes hanc calamitatem, tristissimumq; statum regni ac populi huius. *Ruere* alioqui, & *corruiere*, passim in Prophetis significat profus perire ac interire. Sumpta uidetur esse metaphora ab ædificiis cadentibus, uel potius à casu fauciatorum in prælio, ubi ruit equus, & fessor eius. *Ezechielis 6*, Gladio, fame ac peste ruituri sunt. *Isaiæ 3*, Ruit enim Hierusalem, & Iudas. *Hieremias sexto*: Cadent inter ruentes, cum uisita uero eos. Et mox, Ecce pono ego in populo hoc offendicula, ut corruant patres cum filiis. *Danielis undecimo*: Domores corruent in gladio, fame, & captiuitate diebus multis. *Oseæ quinto*: Israel & Ephraim corruent in iniquitate sua, corruet & Iuda cum eis. id est, diuinis pœnis perdetur & peribit.

RVPS, aut PETRA, per metaphoram duplici ratione significat Deum, primum quia & loca & arces munitissimæ olim existimatae sunt esse, quæ in præruptis rupibus erant sitæ: utpote ad quas non facile patebat aditus, quæque nec aggere ullo adæquari, nec ullis arietibus concuti, ob soliditatem & arduitatem poterant: tametsi etiam sine superstructionibus humanaeque opera erant in illis locis Orientalibus rupes natura munitissimæ, in quas si quis confugiebat, non facile capi expugnariue poterat. Talis fuit rupes, in qua confederat Elias, & Samson. & alia, in quam confugerant reliquæ Beniamitarum: qualium rupium etiam in historia Alexandri Magni plures in India fuisse narrantur. Hac ratione sæpiissime Deus dicitur rupes sui populi, sicut & arx ac ciuitas munita, propterea quod cum illi ad Deum uera fiducia ac inuocatione confugerunt, perinde tuti sunt, ac si quis in locum munitissimum confugisset. *Psal. nonagesimo quarto*: Deus factus est mihi in rupem fiduciam meam. Sic & *Psalmo octuagesimo nono*, & *nonagesimo quinto* Deus dicitur rupes salutis nostræ. id est, arx seruans nos. 2. *Samuelis uigesimaliter*: Dixit rupes Israelis. id est, defensor, aut seruator. *Psal. 18*. Benedicta sit rupes mea. id est, propugnaculum, aut propugnator ac seruator meus. Aliquando Deus uocatur rupes, tantum ob potentiam ac firmitatem. *Deute. 32*. Rupes perfectum est opus eius, quia omnes uia eius iudicia. Deus fidelis est, & non est in eo iniquitas, iustus & rectus est ipse. Sic ibidem aliquando post: *Petræ*, quæ genuit te, oblitus es. id est, omnipotentis ac inuicti illius Dei.

RVPTRA, aliquando plagam aut cædem significat. 2. *Samuelis 6*. Iratus est Dauid, quod Iehoua rupisset rupturam in Vzra. id est, occidisset eum *Exodi 19*. Sanctificent se, ne rupturam faciat in eis Iehoua. id est, ne cædem aliquam eorum faciat, ne irascatur, & multos ex eis interficiat. *Psal. 106*. Nisi Moyses electus Dei stetit in ruptura coram eo. id est, in eo loco, in quo cædes Dei grassabatur, ac sæuiebat per populum. Fortè hæc metaphora uenit à conflictu, ubi cum hostis præualere incipit, aliquam partem totius aciei aut phalangis rumpit, unde Ruptura cædem notat. Quare rupisti rupturam super te, & uocatum est nomen eius Perez: *Genesis trigesimal octauo*. id est, rupisti tuam secundinam. Solent enim infantes in partu perumpere illum quasi sacculum, quem Deus eis in utero induit, cum parientibus sunt. Videtur nutrix ludibunda quasi obiurgare infantem, quod fratre, qui prior exiturus uidebatur, quasi repulerit, ipseq; per angustias perumpere festinando ad exitum: quam rationem huius ioci & nominis credo esse magis appositam. *Sepiens rupturam* dicitur is, qui instaurat ædificia ruinosam, aut alioqui ab hostibus lacera

ta ac luxata. *Isaiæ 58*. Vocaberis reparator rupturarum, 70

& restitutor semitarum ad inhabitandum. id est, instaurabis regnum desolatum. *Rumpi terram à clamore*, hyperbole quædã est de maximo strepitu ac sonitu, qui impellit ualde aerem & auribus quoq; molestus est. 1. *Regum primo*. Populus canebat tibiis, ac lætabatur gaudio magno ita ut rumperetur terra à uoce eorum. *Rumpi oua*, est excludere pullos. *Isaiæ quinquagesimonono*: Oua aspidum ruperunt, & excludetur regulus: id est, conatus impiorum aut profus inanes sunt, ut telæ aranearum: aut etiam ipsimet & alii perniciosi. *Rumpere uincula*, est deficere ab obedientia Dei, aut alioqui alicuius sui superioris, cui aliquis iure promissis aut aliis obligationibus perinde deuinctus est, ut si uinculis aut ligaminibus ad eum esset alligatus. Exempla nota ac perspicua sunt *Psalmo secundo*, *Hieremias secundo* & *quinto*: *Disrumpamus uincula eorum*. *Luca quinto*: Concluserunt piscium multitudinem magnam, rumpebatur autem rete ipsorum. Non de actu ipso, sed de potentia proxima dicitur: quasi diceretur, Rupturiebat, aut iam iam rumpi uidebatur, uel incipiebat rete eorum.

S



ABBATVM, uenit à uerbo Hebræo שבת Schabat quieuit. Institutum est aut à Deo *Genesis 2*, ea occasione, quod sex prioribus diebus creauerat Deus mundum, cum omnibus creaturis in eo existentibus, septimo uero die quieuit: sub-

intell. desinens nouas creaturas condere. Est autem illa septima dies, ea quæ etiam nunc uocatur Sabbatum. Nam prima est, Solis. Consecrauit ergo sibi, ac sanctificauit Deus diem septimum, primum ut esset memoriale creationis Dei, & initij rerum omnium: secundò, ut ea die toti uacaremus ipsius cultui ac doctrinæ: tertio, ut corpus requiesceret ab operibus suis, & anima tanto magis exerceretur in diuinis: quarto, ut esset memoriale æternæ illius quietis, quæ in altera uita sequetur. Quinetiam mundi durationem (ut habet *Eliæ traditio*) in sex mille annis distributam, uidetur Deus uoluisse per sex dies operationum designare, aut præfigurare: quibus exactis, æternum Sabbatissimum, & nominis sui sanctificationem inuolatam & incontaminatam instituet. Primum igitur uox ista significat prædictam septimam, sacratamque cultui diuino diem: quam sanctissimè uult obseruari, non tantum cessatione ab operibus externis corporeis, seruilibus, & aliis quibuscunque prophanis: sed etiam cultus diuini frequentatione, nempe auditione & prædicatione uerbi Dei, cognitione ipsius, precatione, & gratiarum actione, & præterea omnibus charitatis operibus. De hac huius diei celebratione etiam in Decalogo præcipitur, *Exodi capite uigesimo*, *Deuteronomij quinto*, & sæpiissime aliàs. Secundò, Sabbatum significat quoduis festum, quo ex mandato Dei, Iudæi tenebantur à prophanis operibus quiescere, & nomen Dei celebrare, siue in septimam, siue in aliam diem incidebat. Sic *Leuitici uigesimaliter* ordinantur quædam festa, nempe prima, decima, & decima quinta dies, cum sequentibus septem mensis septimi, quæ festa necessariò in diem septimam aut commune Sabbatum incidere non poterant. Tertio, Sabbatum in plurium dierum festo, peculiariter erat prima & ultima dies illius totius festi. Inde est quod *Luca octauo* fit mentio *Αυτὸς ἡμέρας*, secundoprimum Sabbati: id est, illius ultimæ diei, quæ ut serie erat secundum aut posterius Sabbatum, ita dignitate erat perinde primum aut summum, sicut & prima dies totius festi. Quarto, Sabbatum nonnunquam synecdochicè ponitur pro omnibus illis septem diebus, quorum ultimus est Sabbatum, seu pro tota hebdomada.